839.6
Hró

OT~L3 (raris.)

Commentatio Historica,
de rebus geſtis
FÆREYENSIUM
SEU
FARÖENSIUM
THORMODI TORFÆI
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS DANIÆ ET NORVEGIÆ,
Rerum
Norvegicarum Hiſtoriographi.




Havniæ,
Impenſis Authoris
Typis JUSTINI HöG Acad: Typogr:
Annó MDCXCV.

APPROBATIO.

Impendit se hactenus totum eruendis Patriæ Historiæ Antiqvitatibus Vir Amplissimus & Celeberrimus, THORMODUS TORFÆUS, adeò ut Commentatio hæc Historica de rebus gestis Færeyensium apparatiùs indicet, qvantum postea lucis ipsius literata otia Rebus Septentrionalibus conparabunt. Hafn: d: 15. April. 1695.

P. VINDINGIUS.

PRÆCELSO HEROI AC
DOMINO,
DN: ULRICO FRIDE-
RICO GULDENLEW,
SACRÆ REGIÆ
MAIESTATIS DANIÆ ET
NORVEGIÆ,
CONSILIARIO INTIMO,
REGNI NORVEGICI PRO-REGI
ILLUSTRISSIMO,
ORDINIS ELEPHANTINI EQVI-
TI AURATO,
CAMPI MARESCHALLO GE-
NERALI,
CUBICULARIO SUPREMO,
UT ET
COMITATUS LAURVICEN-
SIUM ET HIRTZHORN
DOMINO HÆREDITARIO,
DOMINO SUO CLEMENTI ET
GRATIOSISSIMO.



PRÆCELSE HEROS

PRæsentem libellum Nomini SUMMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ inscripsi, haudqvaqvam inconsideratâ temeritate impulsus, sed necessitate usqve qvaqve evidenti adductus. Absit certè, ut munus hoc chartaceum, exile & levidense, dignum tanto HE-

HEROE exiſtimem; multo minus arbitrer, inſtitûto tali, me exſolvi posſe nexu, qvô SUMMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ me devinctum eſſe fateor indiſſolubili. Abſit qvoqve, ut meis præſumam viribus, vel laudes TUAS exſeqvi, vel virtutes commemorare, qvas vigens ſeculum admiratur, poſteriora decantabunt. Etenim qvæ fortisſimè & mente providentiſſimâ, bellô paceqve gesſeris, qvas intermediâ qvoqve & pauliſper ſedatâ tempeſtate Legationes obi-

veris, qvâ dexteritate & ſapientiâ Rem Norvegicam, diuturnitate temporis hujus Regni Pro-Rex, ſub Auguſtiſſimorum REGUM noſtrorum auſpiciis gubernaveris, ſuſtentaverisqve, talia ſunt & tanta, ut negotii materiæqve plurimum datura ſint calamis eruditorum, ad perſeqvenda ea ritè intinctis. Fortunata exinde, & fortunatior usqve Norvegia, commerciis, claſſibus, uberrimô prudentiæ Tuæ, conſiliorumqve Tuorum fructu. Innuet itaqve, & patefa-

tefaciet hoc duntaxat qvalecunque ſcriptum, demisſam maximè erga TE meam obſervantiam, qvæ nunqvam non reſedit in animo meo TIBI planè devoto, qvamq́ve publicè teſtatam facere, vergens in ſenium ætas & monet & imperat. Qvâ ratione ut erga tanti MÆCENATIS clementiam, permulta TUA ac profunda in me effuſa hactenus beneficia, gratum pectus, pietate ac veneratione imbutum & repletum, cunctis hic qvàm apertiſſimè oſtendo, hisq́ve tabel-

lis,


lis propalàm collocatis ingenuè profiteor omninò omnibus; ſic Æterno Numini ſupplico, impertiatur magìs magisqve TIBI Tuisqve Præcelſis, qvæ Vobis fauſta, ſint ſecunda, ac feliciſſima, æternumqve duratura! Nativæ & ingenitæ TUÆ clementiæ ultra in totum me conſecrans, qvi, dum vitalis hos artus ſpiritus regit,

SUMMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

plusqvam humili devotione addictus, deditus & obſtrictus,

Havniæ die 25. Apr: Aō 1695.

THORMODUS TORFÆUS.



Lectori Benevolo.

Decreveram, anteqvam huic opuſculo manus admoverem, aliud, ſed multò diffuſius de Rebus Orcadenſium præmittere, id enim dudum conſcripſi: ſed fatali qvâdam neceſſitate, tanqvam obſcurâ nebulâ in media luce interceptum, qvò minus emerſerit, variis impedimentis, iisqve identidem ex improviſo ſubnaſcentibus, effectum eſt. Cùm enim ſuperiori annô ab accuratiſſimo Cenſore, illuſtri viro PAULO VINDINGIO, Sacræ Majeſtatis Regiæ Conſiliario Juſtitiæ, in ſupremo Juſtitiæ Tribunali, Collegio Cancellariæ & Conſiſtorii Aſſeſſore prudentiſſimo, Græcæ Lingvæ Profeſſore publico, Fautore meo eximio, plurimumqve colendo, re-

cognitum mihi redderetur, reſtarentqve alia ad ſupplementum neceſſaria, ex Archivis Regiis depromenda, res in exitum anni dilata, ſpem domuitionis, occaſionemqve navigationis penitus abſcidit. Cumqve poſt longam deliberationem tandem mihi hìc neceſſariò manendum animadverti, ne omninò nihil agerem, præſens Scriptum, qvalecunque eſt, divulgandum ſtatui: idqve qvoad licuit ordine, & tantùm non methodo, verbisqve iisdem, qvibus Codex Flateyenſis, vaſtus qvidem ille, utpote varias rerum materias complectens prævit. Neqve enim dictionem immutare placuit, veritus, ne paraphraſticâ, vel nimis compendiosâ expoſitione hiſtoricæ veritati vim facerem: id qvod ſummis ingeniis ſermonis elegantias, aut argutam brevitatem captantibus, haud rarò eveniſſe deprehendi. Nec tamen eidem Codici adeò me mancipavi, qvin qvædam ex aliis documentis deſumta, huc velut in unum faſciculum congeſſerim; etiam dubia magis ventilata, qvàm noſtrô arbitriô deciſa, forte nec ſatis examinata adduxerim. Qvorum

inter

inter alia de notatione nominis insularum Færeyensium, suppeditatis mihi, Commentatione hac jam in Typographia versanti, ab illustri & pergeneroso Viro REINHOLDO MEJERO, qvi Augustissimo REGI nostro à Consiliis Status, Justitiæ, Cancellariæ, & Cameræ, nec non è Deputatorum numero, qvorum fidei rerum bellicarum cura, terrâ mariqve, haud minus clementissimè demandata, qvàm spectata maximè virtute ab iis ostensa & probata, suppeditatis inqvam copiosis, & eos inter, eruditissimis adversariorum libris Adriani Schrieckii, Rodorni, Belgarum qvondam Principibus itidem à Consiliis. Cujus labor præcipuus eò tendit: Lingvam Hebraicam esse primogeniam; Teutonicam secundam: Gentiqve huic, Celtis & Cimbris, post confusionem Lingvarum eundem fuisse fundum, ac dialectis tantùm ab Hebræa discrepâsse. Ex Japheti posteris Septentrionem qvi tenuêre, Celtas appellat: nec ab hoc in totum dissentio. Ad Celtas qvi postea accesssêre Cimbros vocat: qvæ ipsa qvoqve hic non exqviro. KELT verò ut idiomata

omate Hebræorum *gelidum* denotat; *COMER advenam*: ſic liqvidas inde exiſtumat Celtarum & Cimbrorum appellationes; illorum nempe â ſitu frigido, ab acceſſu ſeu adventu, partim transmarino, horum. Indidem *PHAR*, primogenia Lingva cùm ſignificet *trajectum*, *ꝹHE* autem *altum*, levi metatheſi inſulæ *FAROE* ex iſtis ſuborietur denominatio. Confirmari hæc qvoqve haud parùm videntur vocibus aliorum, qvibus manſit ferè eadem ex aſſe proprietas. Sicqve *TEUTONUM* Fahr *metus, periculum*, qvô nec navigantes vacant: Fahren / zu Schiffe fahren / *navi vehi*; Fern *procul*, *longe*; Fernen / *recedere*, *abeſſe*; Aus Fernen Landen kommen, *ex finibus longinqvis accedere*. Ubi verbum Kommen qvadrat ad ea, qvæ de Cimbris & voce Comer ſupra allata. *DANORUM* FARE Coldingio, *vices, labor, mare* & *diſcrimen*, Fare ofver *trajicio*. *NORVEGORUM* Far *navicula vectoria*, Kand eg faa far met docke / id eſt, Kand jeg komme paa Baad med eder / *mihi ne conceſſa facultas vobiſcum transnavigandi*. FOER kaldis Reys / dicitur iter.

Is-

ISLANDORUM Far *navis*, farkostur *idem*, Feria *ponto*, Feriastadur *traje-ctus*. *SVECORUM* Fara / færja / id est Sættia ofver / *trajicio*, Forestad *traje-ctus*. *HELLENISTARUM* περάω, πέρω, πόῤῥω. *LATIORUM FERO*, deferri scilicet navi; & si qvæ porro, seu præterea motum transeuntis notant. Qvorum omnium convenientissima ex Hebræa ratio, haud levi sane indicio vocabula hæc, rebus secundum esse suum & proprietatem imposita, non nisi ex Hebræorum fontibus esse derivata atqve deducta. Ortelio qvoqve hinc & Ferrario, aliisqve celeberrimis Geographis *FARE* una Electridum, qvæ & Glessariæ Plinio maris Germanici juxta Scotiam insula. Cautè autem ab Ortelio additum, qvæ nunc fortasse *FARE* dicitur. Etenim succinum secundum communem interpretationem illarum vocum, inde haud afferri satis constat. Solino tamen Glessariæ plumbum etiam optimum & crystallum gignunt. Sufficiat itaqve ex una vel altera Electridum ejusmodi ad alia transportari loca, præsertim cùm in numero insularum, qvæ vul-

go

go *FARRÆ* nuncupatæ, Geographorum magna varietas & discrepantia. Sonus igitur & sensus, qvibus hactenus usi fuimus, in exprimendo, qvod nostræ insulæ tributum inditumqve, nomine, cùm nec sint obscuri, nec occlusi, ei utiqve initio F conveniet, vi atqve virtute literæ, notioni tali destinatæ. Fortiori autem per V si qvis scribere amat, & sua nihilo minus voci ex Hebræorum radice erit intelligentia. Qvæ enim Japhetorū pronunciatio per *VER* vel *VEUR*, majoribus ipsorum *BER* qvod est *in principio*, ac designabitur sic flexione minimæ literæ locus, qvi ratione altitudinis in proxima superficie primū conspicuus. Sed haud mihi anim⁹ Lexica contexere: Omnes pœnarum facies qvi labor unus habet.

Nec veri-similibus allatis expeto, ut iis plane immota sit dignitas atqve authoritas. Si enim ipsi Philippo Cluverio, viro stupendæ lectionis & admirandæ industriæ, Lingva Hebræa haud primogenia: nunqvam deerunt, ratione originis vocum, viris eruditissimè doctis, Wormiis, Sperlingiis, etiam ultra Vossios, Borrichios, ad agenda qvæ suppetunt. Suf-

Sufficit mihi in præſenti grata de his & amœna cum ſummo Viro, ſimul & optimo, tantoqve Mæcenate commutaſſe verba, cujus gratiâ & Scrieckii, aliorumqve ſelectiſſimorum Authorum facta mihi largitio atqve communicatio, cui Camœnæ dulces, Muſarum qvoqve qvi amor & deliciæ. Sunt & alia, qvæ præter Orcadenſium Hiſtoriam Lector exſpectabit, Seriem nimirum Regum Daniæ ex Antiqvitatibus Islandicis erutam, qvam juſſu Auguſtiſſimi Regis, glorioſæ memoriæ,

FRIDERICI TERTII,

Domini mei clementiſſimi, juvenis conſcripſi. Sed cùm plura incorrupta documenta acqviſita ſint, qvàm illô tempore ad manus habui, illos monitos volo, qvi exemplaria iſta, me certè inſciô, comparârunt, ne ipſis plus nimio tribuant. Audivi enim etiam inſignes Viros, & in his ſacrorum ſupremos Antiſtites propriis manibus ea exſcribere dignatos fuiſſe; nuperqve unum exemplar à ſingulari amico mihi oſtenſum eſt. Fuit & Paſtor qvidam, qvi illud in Danicam Lingvam

trans-

transtulit, prælo impressurus, si licuisset; licuisset autē per me, ni plura de suo inseruisset: qvod eqvidem tantùm abest, ut pro meo agnoscam, ut qvædam etiam resecare, qvædam adjicere iis, qvæ ipse conscripsi, jam paulò melius edoctus cogar. Sed cùm annum jam domo octoginta milliaribus Germanicis hinc distante abfuerim, nec hic præstò sint ea, qvibus ad supplendum aut emendandum scriptum istud indigeo, moraqve præter opinionem producta sit, nec spem concipere poteram de reposcendis iis, qvæ domi remanent, nec sine iis ullum in corrigendo profectum mihi polliceri: illius itaqve edendi curam in commodius tempus differendam statuo, qvò Deô propitiô inscriptum Potentissimo REGI libellum, Serenissimo ejus Nepoti, OCELLO nostro, ut Faustissimi Nominis, ità Avitarum Regiarum Virtutum ex asse consorti, tandem aliqvando etiam cum usura reddi possit. Restat adhuc opus unum, Historia minirum Rerum Norvegicarum, cui conscribendæ haud paucos annos impendi,

pendi, plures insumturus, si vitam & valetudinem Deus Opt: Max: conservaverit; Paterqve patriæ, Gentium Septentrionalium certum præsidium, generisqve humani delicium, Augustissimus noster REX CHRISTIANUS QVINTUS cœptis annuerit: id qvod procul dubio pro ingenita clementia, bonitate & liberalitate Regia impensiùs faciet. Omnium enim domos Illius vigilia defendit, omnium otium Illius labor, omnium delicias Illius industria, omnium vacationem Illius occupatio: sera sit illa dies, & nepotibus demum nostris nota, qvâ, exutâ mortalitate, cœlo inferatur. Sed nec Principum nostrorum Procerumvé studium in eo promovendo deficiet. Qvid enim de GULDENLØVIORUM Celsitudine Norvegi sibi non pollicentur, qvorum patrocinium, gratiam favoremqve, magnô suô commodô, longa annorum serie experti impensè sibi gratulantur, qvòd rerum suarum cura tutelaqve eidem Celsissimæ Familiæ potissimum committatur, cujus perenitatem vo-

tis omnibus cuncti, & pro se qvisqve ardentissimè expetit. Qvid Comitem memorem de REVENTLOU, Baronem JULIUM, aut etiam summum Ærarii Regii Præfectum fidelissimum, nobisqve exoptatissimū PLESSIUM, Viros longè illustrissimos, singulos Majestati à Consiliis Sanctioribus, qvorum in literas studium, invictusqve promovendi ardor, affectusqve nemini ignotus. Taceo MOTHIUM, Ordinis Danabrogæ Eqvitem, Supremum Regis Secretarium, literarum, literatorumqve magnum Patronum, qvi præter insitum in doctos amorem, meas qvoqve res, studia conatusqve summô favore proseqvi, summô conatu promovere nunqvam destitit, qvo etiam nomine supra sortem meam ei me obligatum ingenuè fateor, cumqve gratiam rependere neqveam, voluntatis declarandæ occasionem & expeto & expecto. Omitto qvoqve BENTZONIUM, Serenissimo Regi nostro à Consiliis Status, Justitiæ, Cancellariæ & Cameræ, insignem meum Fautorem, nullô non honoris obseqviiqve genere proseqvendum Sunt & plures illu-

stres

ſtres nobilisſimiq́ve Viri, Regiæ Majeſtatis magni Miniſtri, qvorum nomina tantilli opuſculi præfatio non capit, qvi eximiô in omnis generis doctrinam affectu, rem hiſtoricam, qvantum in illis erit, commendabunt, promovebuntq́ve. Certò itaqve, benigne Lector, Rerum Norvegicarum Hiſtoriam, variis rerum materiis refertam, cum tempore exſpectabis: qvâ ſpe inductus plurimum vale, hisq́ve puſillis, donec ea, qvæ pollicemur, aſſecutus fueris, acqvieſce.



IN FEROIAM
Viri Nobilisſimi & Amplisſimi
THORMODI TORFÆI
Rerum Norvegicarum Hiſtoriographi Regii; Schediasma

Iambis rectis expreſſum ab Arngrimo Vidalino Thorbeli filio.

FEroja, cœlo proxima intonſum caput;
Fæcunda laudum: qvam premit Septemtrio
Gelu nivali, frigidusqve Jupiter.
Tritonis aula ſpumei domus Dei.
Vultum ſerena triſtem, & ægrimoniam
Comitte ventis; effer auguſtum caput
Cinctum corollis, floribusqve vinulis;
Alboqve lætum calculô, ſigna diem.
Spargit tuus, qvam roſcidâ comâ diem
Auriga lucis, Phæbus; arbiter Poli;
Per templa cœli flammeamqve machinam
Dum concitatæ fertur impetu rotæ
Ovans; qvod illum, luce donari vidit
Librum, Polo qvi tollit, & famâ fovet
Laudes tuas; & nomen ignotum diu
Effert ſub auras. Tu qvid autori vicem
Non reddis? aut pleno refundis huc ſinu
Decus perenne & nominis præconium
Qvod nullus ſolvet livor, & nullâ obteret
Volumen ævi, fluminis ritu fugarum
Oblivione. THORMODI ergo gloria
Æternitati candidata, immobilis,
Manebit usqve; dum coruſco ſidere
Perluſtrat orbem Solis igneum jubar.






HISTORIA DE REBUS GESTIS FÆREYENSIUM,

Præfatio.

HIſtoriam Færeyenſem, Vir Doctiſſimus Magiſt. Lucas Debes, Scholæ gentis illius Rector, inſularumqve iſtarum Paſtor, & Præpoſitus vigilantiſſimus; nunc piè mortuus, ante paucos annos, idiomate Danico luculentiſſimè conſcripſit, & typis evulgari curavit, ubi cœli, ſali, ſoliqve naturam & fœcunditatem, populiqve indolem, civitatis formam, & qvæ ad res Eccleſiaſticas ſpectant, doctiſſimè deſcripſit, nec qvicqvam eorum, qvæ ad gentem eam illuſtrandam facere poſſet, qvantum in ipſo fuit omiſit. Geſta autem gentis, utpote ab aliis parcè memorata, qvo-

rum etiam materia ſat exilis, paucis commemoravit; cum autem plura extent, qvàm ipſe ſcire poterat, qvædam etiam verius deſcripta, qvàm Chronicon Norvegicum, Danicis typis impreſſum, qvod ſecutus eſt, commemorat, ea per Codicem Flateyenſem ſparſa, in Ordinem digeſta, inqve unum locum collecta, lectori exhibere viſum eſt, præmiſsâ Etymologiâ, & inſularum nominibus, ab ipſo Debes recenſitis.



CAP. I.

De Nominis ratione.

PUtat autem non rectè Fero inſulas illas colectim appellari, cum tamen in antiqvis membranis Ferey in ſingulari numero, aliqvoties occurrat, in Codicibus Færeyar, id eſt Færeyæ, in plurali numero ſæpius legantur. Deinde recenſet, varias, de notatione nominis opiniones. Alii enim a Feer, id eſt pluma, eas dictas volunt, id qvod improbat, qvod plumæ ad uſus culcitrarum aliaqve id temporis incognitæ fuerint, etiam hodie, ipſis incolis mi-

minus in usum receptæ. Mercium autem præcipuam lanam fuisse, nec plumas Norvegis, cum qvibus merces commutarunt, præsertim in septentrione in pretio; cum ipsi iis abundarunt. Adjecisset etiam Feer, antiqvam vocem non esse; Fidr olim pluma dicta est, posteri ut fieri consvevit, per elisionem, vocem corruperunt. Alii a Fier; qvod remotè significat, derivare malunt qvòd a Norvegiâ longe remotæ sint; Id qvod rectè refutat, cum Islandia Gronlandiaqve remotiores sint; potuissent tamen & hæ, qvia prius notæ, ità ob eandem caussam a primis illis inventoribus appellari, si nominis ratio pateretur. Fiærri enim illi, qvod hodie Fiet dixerunt, verum nusqvam in codicibus Fiaereyas legas. Ipse a Feriu id est scaphis, qvibus flumina aut maria; ubi brevis trajectus est; transmitti solent, primum inventorem eas nuncupasse putat; qvod aliter adiri neqvirent, aut intermeari, eadem itaq; ratione idem nomen Orcades mererentur, ut & Hetlandicæ insulæ. A Faar / id est ovibus dictas, ideo minus credit, qvod cum primum inventæ sint, ovibus caruerint, id qvod probatione eget;

poterant autem ovibus abundare antequam Norvegi eam invenerunt, impositis forte a piratis, qvi illuc receptum habuerunt, ad se, qvoties eas transirent, recentibus carnibus recreandos, qvæ in magnum numerum e paucis subitò poterant excrescere. Errat autem qvod vocem Faar/ peregrinã appellat utpote qvæ minus corrupta Fær/ovem denotans, ut juris Ecclesiastici ab Arnio Thorlaci Episcopo Scalholtensi conscripti Cap. 32. adhuc remanet, ubi inter Færsaudi & Geitse (aliàs Geitsaudi) ɔ: oves & capras discrimen evidens ponitur. Itaqve ab ovium multitudine, inventores Norvegos eis nomen indidisse existimo.

CAP. II.

De insularum situ & Numero.

Insulas illas laudatus Debes in oceano sparsàs, in longitudine milliarium Germanicorum XV. In latitudine autem X. vel paullo majus spatium occupare tradit; Spectare autem versus orientẽ Stadas Norvegiæ, Euronothum Orcades & Scotiam austrum

auſtrum Hiberniam, occidentem auſtralem Gronlandiæ terminum, aurum Islandiam, ſitumqve earum ad auſtralem terminum, ſub gradu æqvatoris LXI m. XV. ad borealem LXII. m. X. Thorshafniæ tamen, ſecundum ſuam obſervationem, ſub gradu LXII. m. II. collocat. Numerum & nomina hoc modo exponit, cultas ſeptendecim recenſet. Fugleyam, Svineyam, Vidreiam, Bordeyam, Kuneyam, Kalseyam, Auſtureyam, Nolseyam, Straumeyam, Vaageyam, Myggeneſiam, Kolter, Heſteyam, Sandeyam, Skufeyam, ſtore Dimon (Dimonem Majorem) & Sudureyam. Incultas paſcendis tantum bobus & ovibus idoneas qvatuor. Tintholmam, Mygganesholmam, Trollhofud, & lille Dimon, (Dimonem minorem. Hæc tantum ex accuratiſſima illius deſcriptione, ad noſtrum inſtitutum facientia mutuare libuit, neq; enim harum inſularum, abſolutam hiſtoriam, hoc in opere profitemur, Qvis autem primus eas inſederit, & qvo tempore, codex Flateyenſis his verbis docet

Columna 59.

CAP. III.

De primis cultoribus.

VIr nomine Grimus Kamban primus
" Færeyas inhabitavit, in diebus Ha-
" raldi Pulchricomi, tunc enim ob ejus vi-
" olentiam, magna hominum multitudo
" aufugit, qvidam in Færeyis consederunt.
" ibiqve habitabant, alii incultas terras in-
" vestigabant. Audur prædives Islandiam
" adivit, ibiqve Olufā Thorsteini Rufi filiā
" in matrimonium elocavit, inde maxima
" Færeyensium prosapia promanavit, qvos
" Gautuskeggos (seu Gautubarbos) appel-
" lant, qvi Austureyam incoluerunt. Con-
" sentiunt SnorrijSturlæi ChronicaNorvegi-
" ca MSS. in descriptione pugnæ Hafursfior-
" densis, cum totam Norvegiā sibi subjuga-
" ret. Post illam pugnam inqvit, nemo ei
" obstitit, hostium enim præcipui cæsi sunt,
" alii autem solum verterant, & qvidem in-
" gens multitudo, nam & spatiosæ regiones,
" ad id tempus desertæ, cultæ sunt, cultæ
" & Iamtia & Helsingia, utraqve ex parte,
" a Norvegiis prius habitata. Illa tem-
" pestate incubante, cum Haraldus in su-
bigen-

bigenda sibi Norvegia occuparetur, et-„ iam remotiores terræ, Islandia Fæтуеyæqve „ inventæ sunt & excultæ, in Hiatlandiam „ qvoqve crebræ migrationes, multi etiam „ potentiores, è Norvegia fugientes pa-„ tria exulantes occidentem infestabant, „ inqve Orcadib⁹ & Hæbudis hybernantes, „ per æstates Norvegiam lacessebant. Hæc „ verbo tenus, tam ex codice Flateyensi, qvam Chronicis Norvegicis exposui, non itaqve vitio caret versio, Petri Claudii Undalini pag: 49, dum Islandiam. & Færeyas iis terris accenset, qvæ a Norvegis prius cœperant habitari, qvamvis & id sustineri possit, cum sermo sit de tempore post victoriã Hafursfiordensem. Annum certe qvô Grimus Kamban eas occupaverit Mag: Lucas Debes DCCCLXVIII assignat, qvem qvamvis certum definire neqveam, elevandum tamen, qvam deprimendum existimo, cum Naddoddi, primi Islandiæ inventoris, tempore cognitæ fuerint, cum ad eas tanqvam notas navigaret. Et si eundem Naddoddum Liber originum Islandiæ in Sigmundo Thistile pag: 37. indigitat, cer-

te Færeyarum incola fuit. Tradit enim proneptem ejus Hildegunnem veneficam, ab Einare de Lone, in jus vocatam, qvæ caussæ suæ patrono tunicam ferro insecabilem donaverit, proavum autem ejus Færeyensem hac serie recencet, Hildegunnem Beineris filiam. Maris neptem, Naddoddi de Færeyis proneptem. Nec tempora dissentiunt, ejus enim maritus Sigmundus fuit, natus patre Ketille Thistile, qvi sinum Thistilsfiordiam, in Islandiâ primus Pulchricomi tempore occupavit. Liber qvoqve Originum nuper impressus pag: 2. in Færeyis eum sedem fixisse memorat; qvod alibi nusqvam securam haberet mansionem, ponit autem in margine annum, qvo Islandiam primus detexerit DCCLXI qvi & imperii Pulchricomi initia biennio præcessit ut in Historia Norvegica demonstravi, ante ergo hunc annum Færeyæ non tantum notæ, sed etiam cultæ sunt, si fides Chronologiæ. Naddoddo tamen sive dignitate, sive tempore prior fuit Grimus Kamban, de qvo præterea nihil ad nos pervenit. Incertus enim sum, an is vel alter ei cognominis, Grimus Kamban

qvoq;

qvoq; dictus, Thorolfi Smiör seu Butyri, ejus qvi inter præcipuos socios Flochii, tertii illius Islandiæ repertoris recensetur, dum insulam qværeret, avus fuerit. De qvo Liber Originum Islandiæ Cap. XIV. pag. 15. tradit, qvod post mortem ob civiū favorem sacrificiis cultus fuerit, Kambanqve appellatus. Poterat qvidem ille vitam ad tempora Pulchricomi producere, licet nepos ejus, illo juvene floruerit. De Flochio præterea tradit idem liber, qvòd dum Islandiam investigaret, ad Færeyas appulerit, ibiqve filiam suam elocaverit a qva Thrandus, de Gautu prognatus fuerit. Erat autem Thrandus Gautubarborum (sic familia, qvæ in illa villa habitavit nuncupabatur) unus. Liber autem originum Islandiæ pag. 52. qvi Landnama inscribitur, qvod occupationem tum insulæ universæ, tum singularum, qvadratum, provinciarumqve iis comprehensarum prædiorumqve describat, ut & alia historia Laxdæla, a valle, qvam magnates qvidam occuparunt Laxardalo denominata, referunt qvod Audur, prædives, Ketillis Flatnefi Hæbudarum principis filia Olafi Hvi-

tii ſev Albi, vel Candidi, Dublini Hiberniæ urbis, ſubjectiqve territorii Regis uxor, neptem ſuam Olufam, filii Thorſteini Rufi, Olafo nati Scotiæ Regis filiam, dum Islandiam peteret, Færeyas provectam, primario gentis illius viro elocaverit; inde præclarum Gautuskeggorum, in gente illa ſtemma prodierit. Habemus itaq; Gautuskeggorum communes ſtipites, a qvibus iſtæ familiæ profluxerunt Thorſteinum nempe Rufum & Flochum. Nomina eorum, qvibus ſive Thorſteini ſive Flochii filiæ nupſerint, ut & liberorum, qvos genuerint, author non exprimit, memorat tamen ab Olufa, maximam omnium Færeyenſium familiam, qvæ Gautuskeggi appellantur, promanaſſe & Thrandum qvidem Flochii filia ortum; mox Thorbiornum Sigmundumqve Gautuskeggos ſubjicit, tanqvam ea nomina primos, in familiam invehentes. Hi igitur Olufæ filii fuerunt, idem temporum ſeries evincit nihil enim obſtat, qvo minus Sigmundus Breſterinus, & Thorer Beineris filius, nati Anno DCCCCLXIV. & LXVI. ejus pronepotes, octoginta plus minus annorum ſpatio potu-

potuerint esse, Si ergo Gudrun Thorbiorni Gotuskeggi uxor, fuit neptis Flochii ex ea filia, qvam illuc elocavit, certè Thrandus Gudrunis filius, a Flochio prognatus est; non enim omnem illam familiam, a Flochio, sed Thrandum tantum. Ab Olufa, & Thrandum & cæteros omnes promanasse perhibet; id qvod traditionem a majoribus acceptam, in hunc usq; diem in Færeyis perennantem ut mihi Clarissimus Debes retulit, & scripto prodidit, confirmat. Se enim Færeyenses, a Scotorum Regum qvodam prognatos asseverant cujus gesta nomenq; penitus ignorant, is autem est Thorsteinus Rufus, qvi cùm Orcades Færeyas & Islandiam, sua progenie multum auxerit, pariter ad istarum gentium historiam, tanqvam communis parens pertinere videtur. Cum tamen Islandiam præ cæteris, numerosiore proventu auxerit, ad calcem vitæ Pulchricomi, ubi colonias e Norvegia, in Islandiam translatas recensui, qvæ de eo scitu digna sunt descripsi, qvorum magnam partem Orcadensium historiæ capiti qvinto inserui, qvæ etiam de Flochio Annales

nales Islandici tradunt, isti de coloniis tractui præmissa sunt; qvò lectorem benevolum remitto. Thorbiornum igitur & Sigmundum Gautubarborum primos Olufa natos statuo. Thorbiorni progeniem primo proseqvar. Deinde Sigmundi.

CAP. IV.

De Progenie Thorbiorni.

Et Thorbiornus qvidem prædium Gatam in Austureya sitam incoluit, sunt autẽ villæ duæ cognomines in austrum altera, altera in septentrionem protenditur, estqve nobilior teste tabula ejusdem Debes, libro præfixa, sub nomine **Nordr** Gotu & **Sudr** Gotu, hodierna sed corrupta dialecto, casum obliqvum pro recto substituente. Gata enim Nominativus, in singulari numero, in Gotu tantum, præterqvam in vocativo obliqvatur. Uxor Thorbiorni Gudrun duos ex eo filios habuit, Thorlacum, & natu minorem Thrandum. Sororem habuisse alibi memoratur; cujus neqve nomen, nec an utroq; eorum parente, progenita sit exprimitur.

Fi-

filioru uterqve ſtaturâ, viribusqve conſpicuus, Thorlacus ætate multum anteceſſit. Thrandus ſtaturâ procerâ, rubrâ cæſarie, barbaqve, facie lentiginosâ ſed virili, ingenio tecto, aſtuto, adqve dolos excogitandos habili, vir in plebem avarus & audax, primatibus blandiloqvus, ſemper tamen inſidioſus. Thorlacus apud patrem in prædio Gautu ad Senectam usqve ejus permanſit, etiam poſtqvam uxorem duxit, nec tamen ab illo tempore, pater diu vixiſſe traditur. In herciſcunda familia, uterqve fratrum, prædium Gatam ſibi depoſcebat, nobilem qvippe ut in illa gente villam, verum cum juris prærogativa neuter, tum temporis alterum præſtaret, res ſorti commiſſa eſt, Thrandoqve ceſſit, cujus cum Thorlacus majori qvàm aliàs veniret pretio redimendæ poteſtatem, fruſtra poſtulaſſet, aliò habitationem tranſtulit. Thrandus prædio, qvantis poterat reditibus locato, in Norvegiam, mercium copia inſtructus conceſſit, ibiqve hyemavit, Haraldo Grafeldo ſceptra tenente. Proxima æſtate, in Daniam profectus ad nundinas in

Ha-

Haleyris, totô ſeptentrione, per id tempus celeberrimas, populiqve confluxu freqventiſſimas pervenit, regnante Haraldo Gormio; qvem Codex Flateyenſis, hoc loco id eſt Columna 59, Blatorn Cærulidentem appellatum tradit; qvi eadem æſtate, magna cum ſatellitum populiq; pompa, nundinis interfuit. Inter ſatellites duo memorantur fratres, Sigurdus & Harechus, hi tabernas ſæpe circumibant, armillam auream, pondere pretioqve pariter inſignem empturi, tandem in mercatorem Holmgerem opulentum dictum inciderunt. Is miri ponderis artificiiq; armillam, cum deprompſiſſet, pretium indixit, majus qvàm præſenti pecunia redimere poſſent; itaq; dilationem in craſtinum diem impetrabant. Elapſa nocte, Sigurdus manu ſublimum tentorii, ubi Harechus degebat, ſtragulum ingeſta, pecuniam popoſcit, emendæ armillæ deputatam; jam enim conveniſſe de pretio, ſuumqve reditum ibidem opperiri juſſit, qvi marſupio reddito, nec cui, viſo, ut præceptum expectabat. Poſt exiguum tempus, Sigurdus fratrem accedens, contractum

tractum perfeciſſe profeſſus, pecuniam poſtulabat, Harecus nuper ei exigenti reddidiſſe reſpondit. Cumqve aliqvantiſper hac de re contendiſſent, rem ad Regem deferunt. Rex furem interveniſſe conjectans, omnes naves detineri juſſit, id verò peregrinis mercatoribus, finitis nundinis, magnum diſpendium viſum eſt; Norvegi itaqve in unum confluentes locum, hac de re conſultabant, ibi, Thrandus exſurgens, mirum ait, qvàm eſſent conſilii expertes, depromere ſi qvid ſciret juſſus, ne id qvidem absqve pretio reſpondit. Reqviſito qvantum expeteret, unciam ſingulis indixit, duabus penſionibus, ſemiunciam in præſens, reliqvam cum conſilium ſucceſſerit perſolvendam. Seqventi die Rex, convocatis omnibus, nemini ſe diſceſſum, priusqvam patefacto fure permiſſurum pronunciavit, actutum Thrandus omnibus ignotus reſpondit, mirari ſe, qvàm inopes coſilii viros conventus iſte haberet, Conſiliarii regii qvid afferret, rogant? nonne ſatius reſpondit, ut ſinguli qvi adſunt, tantam pecuniam contribuant; qvan-

qvantam Rex indicit, qvam ut hic majori cum damno morentur, inde autem primo restituendum damnum, illis qvi rerum suarum jacturam fecerunt, qvod superest, Regis honori munus cedet ejus deinde arbitrio dispensandum. Magno omnium assensu consilium exceptum est, ingensqve pecunia sine mora collata, mox etiam magna pars navium anchoras solvit. Seqventi die, pecuniâ omni ad Regem delata, damnôqve fratribus resarto; supererat summa ingens, Rege qvomodo disponenda esset consultante, Thrandus qvid inqvit, Domine author consilii meruisse videtur, qvo dicto, mox consilii author agnitus est, Rex bifariam omnem residuam summam dividendam censuit satellitibus suis unam partem addixit alteram in duas partes subdividi jussit, altera Thrando data, alteram se rite collocaturum asseverabat. Thrandus magno verborum pompa & apparatu, prudentiam Regis, liberalitatemqve extollens, tantam pecuniam consecutus est ut vix selibrarum numerus iniri posset, exactâq; qvam a singulis Norvegicis mercatoribus

pactus

pactus erat residuâ semiunciâ, cum iis qvibus in Daniam profectus est, rediit, nave deinde mercibusqve coemtis onusta patriam repetivit, vereqve seqventi prædium hæreditarium Gatam incolere cœpit; opibus qvàm abundantissimè instructus, nec partæ in nundinis Haleyrensibus opes inposterum defecerunt. Thorlaco duo filii erant Sigurdus & Thordus pusillus, per antiphrasin dictus, sorori qvoqve eorum filius sunus Gautus cognomine Rufus. Sigmundi Thorbiorni Gautubarbi frater, duos etiàm filios habuit, Bresterem & Beinerem, qvi Skufeyam incoluerunt. Fuerunt autem viri celebres, dimidiis insulis ab Hacone Hladensi, tunc temporis Thrandheimi Comite, præfecti, eiqve carè dilecti. Brester corporis statura magna, robore verò & pugilatione, omnes insulanos præstans, alia qvoqve virilia exercitia apprime callebat, amicis clarus, vulgo acceptus. Proximus ei frater Beiner; non tamen eum æqvabat. Inter eos & Thrandum amicitia consangvinitati haud respondebat, ingeniorum diversitate obstante. Neuter eorum uxore ducebat, qvarum vicem sin-

gulæ concubinæ explebant, Cecilia genere Norvegica Bresteri, Thora Beineri assvevit; filij ex utraqve nati, Thorer Beinere ANNO DCCCCLXIV, Sigmundus Brestere satus duobus annis minor. Alia illis villa in insula Majore Dimone, minor tamen eâ qvam in Skufeya incolebant.

CAP. V.

De caussis rixarum inter Færeyenses.

HAsgrimus vir opulentus & strenuus vehementior qvàm prudentior, prædium Hof in Sudureya incoluit, idolorum sedulus cultor: alteri insularum parti, ab Haraldo Grafeldo Norvegiæ Regi præfectus. Uxorei Gudridis Snæulfi, qvi in Sandeya habitabat, filia, filius Auffur, scitus puer, speiqve bonæ. Snæulfus Hæbudis, ob perpetrata homicidia profugus, in Færeyas concessit, priore ætatis parte, piraticis expeditionibus impensâ, vir omni tempore, animo inqvieto & feroci. Hafgrimo duo domestici erant, alter Einar Sudureyensis dictus, qvod in australi insula vel Sudureya natus vel educatus esset, alter Eldiarn cog-

cognomento Kambhauttus, vir ſtultus, nugator, arrogans, timidus, calumniator & mendax. Contigit autem qvodam autumno, cùm mactatis pro more ovibus, capita pedeſqve, ad focum torrerentur, ut inter Einarem & Kambhauttum, qvæſtio de præcipuis inſulanis incideret: Hafgrimumqve Kambhauttus, Breſterem & Beinerem, cognatos ſuos Einar extolleret, magnaqve contentione, ſuis qviſqve partibus ſtuderet, donec infenſus Kambhauttus, fuſte qvem manu tenebat, Einarem pulſaret, ab eo viciſſim ſecuri ictus, adeô ut rupta cute animo delinqveret. Qvo cognito Hafgrimus Einarem domo expulit, mandans, ut ad Skufinſulanos cognatos ſuos concederet, nec dubium inter illos dehinc inimicitias orituras. Parebat Einar, benigneqve exceptus, hyemem ibi transegit. Breſtere, ut injuriam ſibi illatam legibus vindicaret, ſæpius ſollicitato, id qvod is haud gravatè in ſe recepit, erat enim vir prudens, & juris apprimè peritus. Eadem hyeme Hafgrimus juris proceſſum prævertit, nam profectus in Skufeyam, ſatisfactionem pro inflicto Kambhautto verbere

postulabat, Brester se controversiam optimorum virorum arbitrio commissurum, ut æqvis conditionibus componeretur, respondit. Hafgrimo omnes conditiones abnuente, nisi suo ipsius arbitrio, lis terminaretur. Id cum iniqvum Bresteri visum esset, Einarem ad forum judiciarium qvod Thors hafniæ in Straumseya celebrari solet, citavit. Brester autem injuriam à Kambhautto prius illatam, statim ab initiô publicaverat. Ad judicium cum ventum esset, utriqve multo comitatu processerunt, actionem autem instituturo Hafgrimo, fratres ingenti pompa, clientelaqve stipati occurrerunt, majoriqve injuriá provocatum Einarem cum ostendissent, Kambhauttus jure vulneratus judicabatur, juxta priscarum legum tenorem, de injuria innocenti illata. Omnisqve actio Hafgrimi irrita fuit: Kambhautus ad pœnam pecuniariam, exiliumqve condemnatur. Hafgrimus hæc iniqvô animô ferens ultionem minabatur, Brestere minas tantum exsibilante.

Cap.

CAP. VI.
De Hafgrimo.

HAud longum tempus intercesserat, cum Hafgrimus, cũ uxore, assumptis sex domesticis, navicula ad Sandeyam, ad socerum Snæulfum vectus, vacuam hominibus domum, insulam qvoqve deprehendit, triclinium instratum, mensæ cibo potuqve refertæ spectaculo fuère. Nox ibi securè transacta, postridie discedens, navigium hominibus onustum, ad insulæ latus remis contendens conspexit. Cognitus ibi socer, cum tota familia, officiose a genero Hafgrimo salutatus, nullo eum responso dignatur. Consilium ad litem recens ortam, perseqvendam postulantem insuper obiurgat, fatuum pronuncians, qvi viros se meliores infestare, suo dedecore lite semper inferior ausit. Hafgrimus increpationem consilio indigenti supervacaneam respondit, nec se ejus aures ultra fatigaturum. Tanta autem ira, Snæulfus exarsit, ut protinus hastam in illum tanto robore conjiceret, ut infixa clypeo, immota staret, nullo qvidem Hafgrimi damno, certissime exitio, ni objecto cly-

pei evitasset, mox ab invicem recesserunt. Hafgrimus postqvam domi aliqvantisper, animi valde ægertemansisset ad Austureyã profectus, Thrandum virum omnium insulanorum sapientissimum consuluit, consilia etiam pretio mercaturus. Is mirum eum existimare, se in factionem cognatis suis contrariam, doliqve & insidiarum iis struendarum societatem facile tractum iri ab eo præsertim ingenio tantum ad consilia gratis & absqve impensa accipienda prono respondit. Id vero Hafgrimus, eum rectè collineare negabat, neqve enim sibi destinatum impensis parcere, modo utrumqve fratrem occidere posset. Thrandus occasionem ise procuraturum pollicetur, modò in singulos autumnos ducenta, qvovis autem vere, ad duarum vaccarum pretia solvenda, se in æternum, suos etiam hæredes obligaret: sed nec sic qvidem solũ hanc in se caussam recepturum, oportere avunculum suum Biarnium in societatem facinoris trahi. Is Svineyam incoluit, vir dives & insidiosus, Biarnius Svineyensis vulgo vocatus. In has conditiones Hafgrimus consentit, inqve Suineyam profectus Biarnium sollicitat, is

trium

trium vaccarum pretia, in qvodlibet ver, trecentaqve in ſingulos autumnos, carnibus, uſibus domeſticis idoneis, pactus eſt, (vaccæ pretium, vel centum, qvod idem eſt, duas uncias argenteas, cum dimidia, olim valebat, cum ſcilicet una uncia centum nonaginta duos, ſolidos Danicos, aut duas, qvales nunc ſunt, uncias argenteas valeret, vel ſi cum hodierna noſtra moneta conferatur, qvinqve coronatis, hodierni pretii conſtitit).

CAP. VII
De cæde Breſteris & Beineris.

Inſula eſt inculta, paſcuis læta, minor Dimon dicta, ubi Breſteris Beinerisqve armenta oviumqve greges paſcabantur; ſumpta inde, qvæ ad victum reqvirebantur, qvoties in villa ſua, in majore Dimone ſita morarentur. Illuc pro more profecti, cum in reditu, majori Dimoni appropinqvaſſent, tres naves ſingulas duodecim viris armisqve onuſtas; occurrentes rectaqve ad ſe tendentes animadvertunt: agnitisqve

qve rectoribus Hafgrimo nimirùm, de Sudureya, Thrando de Gautu & Biarnio de Svineya, insidias evitaturi, maximo nisu eó tendunt. Verum cum insulam inter navemqve intervenientes hostes, portu eos exclusissent, ad aliam in littore stationem, nave directa, mox hostium insultibus obnoxii invaduntur. In præruptum prope littus saxum superne latum, impetentibus arduum, propugnatoribus idoneum enixi, suum qvisqve filium, novennem alterum, alterum duobus annis majorem, qvos puerilibus blanditiis exorati secum advexerant, apud se constituerunt. Brester locum accessu faciliorem defendebat, difficiliorem Beiner; hos Hafgrimus Biarniusqve, viginti qvatuor viris comitati, impetunt, verum his, valde se locumqve propugnantibus, segnius oppugnatio, qvàm speratum erat processit; Thrando in littore tantum deambulante, inspectoreqve pugnæ, neutri partium accedente. Qvem Hafgrimus increpans, auxilium mihi Thrande debes ait, eo fine pecuniam accepisti, ad qvod Thrandus respondit: næ tu nauci qvidem homo es, qvi duos homines

mines, vigesimus ipse qvartus expugnare nescis, nimirum aliis pro clypeo uti consuevisti, ipse adversus pericula pavidus, proinde si vir es Bresterem aggredere, saxumqve reliqvis seqventibus primus occupa, multisqve aliis verbis ejus segnitiem castigabat. Inde infensior Hafgrimus ad saxum magno impetu contendens, Bresterem hastâ medium transfodit. Qvi ut lethale vulnus sensit, ipse se acrius impellens, qvò hostem mutuo ictu apprehenderet, gladio ej humerum brachiumqve alterum amputavit, superqve eum de saxo exanimem cadentem, ipse similiter mortuus corruit. In Beinerem deinde solum impetum vertunt, qvi similiter post bene longam dimicationem fortiter occubuit: Bresterem prius, qvàm Hafgrimus concidisset, ex hostium satellitio tres, Beinerem duos ante obitum occidisse tradunt. His peractis Thrandus in futurum providens pueros similiter occidi jussit; at Biarnius ingenio mitior tantum scelus aversatus vitæ sibi cum illis commune periculum futurum pronunciavit. Atqvi respondit Thrandus, ipsi maximam partem eorum, qvi hic ad-

adſunt, aliqvando, ſi vivi evaſerint, occident, id vero Biarnius nihil referre reſpondit, incolumesqve dimittendos pronunciavit; Thrandus neqve hæc ſerio, tantum ad explorandam mentem illorum ſe locutum excuſabat nam & ipſe iis id rependam, ait, qvod me præſente patres eorum occiſi ſunt,eos enim, educandos ſuſcipiam. Interea pueri ſaxo inſidentes, fatum parentum lugebant, & Thorer qvidem lachrymans, cum Sigmundi vox memorabilis; qva illum caſtigabat excepta eſt; ne fleamus ajebat, ſed meminerimus. Exinde Thrandus, pueros ſecum domum deduxit, Hafgrimi funus in Sudureyam delatum, ibiqve ſepulturæ mandatum eſt. Fratres autem Breſter & Beiner ab amicis in Skufeya tumulo conditi ſunt, eorum fatum omnes, qvotqvot audiverunt, & miſerati ſunt, & hoſtium facinora deteſtati. Obitus illorum in annum qvo Haraldus Grafeldus occubuit, Codici Flateyenſi refertur ſalutis ſcilicet,

DCCCCLXVI.

Cap.

CAP. IIX.

De transvectione pue-
rorum.

HAC æstate e Norvegia Navicularius qvidam nomine Rafn, vir Vichensis, urbanus Thunsbergæ civis, Thorshafniam appulit; a crebra in Russiam, urbemqve Holmgardum navigatione Holmgardipeta appellatus. Ad qvem portu solventem, Thrandus lembo vectus accessit, seorsimqve ductum monuit, habere se duos pueros, servitio cum tempore aptos, venales, is produci jussit, neqve enim nisi visos licitari posse. Veste alba, abscissa coma in servilis conditionis argumentū, mœrore insuper deformatos, elegans & liberalis facies honestabat: qvibus visis Rafn ulterius qvæsivit, essent ne filii Bresteris atqve Beineris, qvos nuper occiderant. Qvo cognito negabat se empturum: duabus igitur marcis argenti Thrandus pactus est, ut illos extra patriam efferret, provideretqve ne unqvam redirent. Hoc modo pueri in ejus potestatem traditi, ipsum domum

mum comitabantur, Tunsbergamqve delati; apud eum per hyemem liberaliter habiti sunt. Initio veris in orientem navigaturus, ut præsens conditio placeret, exqvisivit? longe liberaliorem qvam apud Thrandum confessi sunt; verum, inqvit, constat ne vobis, qvid inter nos convenerit? notum respondentibus: nihil regessit, obstabit, qvin liberi hinc, qvo libuerit, abeatis, argentum etiam in viaticum, licet satis in peregrina terra exiguum, accipietis, qvod Thrandus mihi tradidit, mox benigne dimisit. Versio Danica profugisse pueros tradit, qvod ut complura alia, hic longè aliter traditur. Exinde Thrandus imperium sibi, in universas Færeyas vendicavit, nec erat, qvi resistere, vel contradicere auderet, prædia etiam hæreditaria, possessionesqve omnes patruelium suorum, Bresteris & Beineris, qvasi jure hæreditario, ad se delatas occupavit: Aussurem autem Hafgrimi filium tum annorum decem educandum suscepit.

Cap.

CAP. IX.

De puerorum calamitate & educatione in monte Dofrino.

Duos annos pueri Thorer & Sigmundus in Vicha, postqvam eos Rafn dimisit, permanserunt, donec argentum omne consumptum esset; non igitur aliud consilium præsentius visum est, qvam ut Haconem Comitem Hladensem, Norvegiæ Proregem, paternæ gratiæ fiducia accederent. Vichâ igitur in Uplandiam, per Heidmarchiam, in Alpes Dofrinas, pedestri itinere, sub hyemis initium ventum est, multa in montem nive decidente. Qvo, consilio parum sano, conscenso, cum multos ibi dies noctesqve inedia prope enecti, ultro citroqve oberrassent, tandem Thorer defecit, moriturusqve hortatur Sigmundum, ut se deserto, viam saluti suæ qværat. Is aut utrumqve simul evasurum, aut moriturum respondit, humerisqve eum suis imposuit, adqve ultimam defatigationem; bajulabat; tantum in illis virium discrimen. Verum Deus, qvi destitutos

tutos humana ope, qvos conservare constituit, sua qvantumvis inopina sublevare solet, his qvoqve viam, sed aviam pandit, inqve vallem qvandam abditam deduxit; cujus partem emensi odorem fumi sentiebant, qvo duce tugurium qvoddam patuit. Ingressi triclinium duas tantum fœminas in celsiore sede considentes, formâ pariter venustâ; sed ætate discrepantes conspexerunt, illæ pueros amice salutatos, vestibus detractis, novis induunt, ad focum calefactos, cibo potuqve recreant, cubitum deinde ductos, monent, ne Domino domum venienti plerumqve austero occurrant. Parum dormiverant, cum Sigmundus adventu hospitis excitus conspexit, virum staturâ magnâ, veste e pelle Rangiferorũ indutum, humero etiam Rangiferum portantem, domum ingredientem, iratum increpantemqve, qvidqve advenarum ibi receptum esset? qværentem, uxor duos pueros, frigore & inedia propemodum confectos, eò forte fortuito delatos cum respondisset: hac tu inqvit, via nos facillime prodis, sæpius enim interdixi, ne receptum ulli præstares;

iila

illa haud se sustinere potuisse, ut tam formosi sciti qve pueri prope domum suam inqve conspectu suo morerentur respondebat. His ut acqvievit cœnatus cubitum ivit, erant enim in eodem cubili duo lecti, unus viro uxoriqve, alius filiæ constrati, tertius qvi iis assignatus est. Mane inseqventis diei hospes lectum, ubi acqvieverunt, accedens, fœminis, inqvit, placet, ut hodie etiam hic permaneatis, modo vobis ita libeat. Tantam in suspecto metuendoqve homine humanitatem, cum verborum honore extulissent, exibat, diemqve totam domo abfuit, sub vesperam rediens, placabilem se & mitem iis exhibuit. Postridie mane surgens, lectum eorum accedens, qvandoqvidem ait fortuito huc delati estis, placet ut hyemem hic transigatis, si id vestris rebus conducibile videtur, fœminæ etiam vobis favent, vos etiam a via, transverso itinere, longius distracti, procul abestis a villis, locisqve habitatis. Id cum illi grato animo verbisqve agnovissent, mandavit ut fœminis officiosos se præberent, & morigeros, inqve iis qvibus illæ indigerent expediendis ala-

cres

cres: se vero qvotidie domo procul, in conqvirerendis, qvæ ad victum necessario reqvirentur occupari. Hyems hoc tenore peracta, ut sortis licet indignæ isto tamen statu haudqvaqvam pœniteret: nam & honorifice pro conditione loci & liberaliter habiti sunt, ædes etiam pulchræ erant, firmiter exstructæ, & affabrè ornatæ. Hospes se Ulfum, uxor Ragnhildem, filia Thuridem, nominarunt, eratqve speciosæ formæ virgo, qvam inter & Sigmundum familiaris consvetudo in dies magis magisqvè, parentibus dissimulantibus crescebat. Die qvi æstatę auspicabatur hospes eos ut tantisper apud se morarentur, invitabat, qvoad ætas maturesceret, nec enim adhuc constare, qvid inter eos fata molirentur, saltem monere, ne sylvam ad aqvilonem sitam ingrederentur. Hac benignạ fortuiti hospitis invitatione gavisi pueri, ibidem remanserunt. Fuit autem Ulfus vir corporis robore & agilitate insignis, in exercitiis qvibuslibet, apprime versatus, nandi, sagittandiqve juxta peritus, pugilqve acerrimus. His eos artibus exercitiisqve assiduo usu ita instruxit,

ut

ut mediocres viros, jam tum in tenera ætate æqvare viderentur, palmam tamen Sigmundo reportante. Tres ibi anni exacti, qvoad Sigmundum qvindecim jam annorum, cupido subiret, contra hospitis mandata, explorandi qvid subesset, qvominus ad boreale villæ latus exspatiari liceret. Eò igitur, Thorere neqvicqvam à transgrediendis hospitis mandatis dehortante, comite tamen, usqve in planum sed cinctum sylvis locum, parvam securim, cædendis in usum foci lignis, habilem, manu tenens processit, ubi statim eos ursus ingens lupino colore insectatus est. Ad angustias itaqve tramitis, qvem in progressu transgressi erant, recursum. Ibi Sigmundus substitit, inseqvente urso, angustâ densas inter arbores, nec facile penetrabiles viâ, semitam usqve. Interea Sigmundus, inter duas arbores latitans, accedentem propius feram, secure inter aures ambabus manibus tanto ictu feriebat, ut penetrato cranio, continuo mortua decideret. Qvo viso Thorer, facinus ait tantum tu, non item ego edidisti, nec dubium te, me longe præstantiorem. Sigmundus tentandum

ratus, poſſit ne urſus inter arbores, in viventis ſpeciem erigi, qvod cum utriusqve opera factum eſſet, ingeſto in os ligni fruſto, hiantis formam præbuit. Inde domum reverſi, hoſpitem ſed iratum, deqve iis ſollicitum obvium habent. Prior eum Sigmundus affatus, deliqvi, inqvit, a mandatis tuis exorbitans, nec immerito a perſeqvente urſo, cum ſocio, propemodum oppreſſus. Non me reſpondit Ulfus latuit imminens ab iſta fera, in occurſu tendentibus periculum, qvam hucusqve in me incitare formidavi, jam vero iſto in poſterum periculo, defuncturus, faciam, ne vos proinde perſeqvatur. Domumqve recurrens, arrepta haſta, in ſylvam citato gradu tendens, in conſpectum procul urſum magno impetu invectus, per pectus transfigit, inqve terram præcipitem dat. Ut vero prius occiſum animadvertit, ſiccine inqvit, me ne ludificatis, qvis veſtrum urſum occidit. Haud ullo jure mihi illam gloriam vendicavero, reſpondit Thorer, Sigmundus author eſt. Præclarum qvidem facinus, reſpondit Ulfus, qvod tamen plura alia ſeqventur. Ex eo tempore Sig-

mun-

mundum arctiore affectu qvam antea complexus est. Triennium inde in hac solitudine transactum, qvoad Sigmundus ad ãnos octodecim, Thorer ad viginti provectus est. Virium staturæqve complementũ, illo tempore Sigmundus assecutus videbatur, tum nutricio suo Ulfo indicat, esse sibi in animo fortunam, etiam extra solitudinem experiri, pluriũ hominũ consvetudinem, hanc ætatẽ reqvirere. Qvolibet autumno vereqve, dũ ibi remanebant, Ulfus sex septemve dies domo abesse solebat, rediens distentas mercib⁹ arcas, panno linoqve, & qvibus præterea indigebat repletas; aliaqve necessaria, domum deportabat; jamq; eis abeuntibus, vestes melioris generis fieri curavit. Nec fœminæ discessu eorum leviter commovebantur, filia præsertim. Eos Ulfus longam viam per montem deduxit, usqve in Orkadalum despectus patuit: tum considere jussis, jam, inqvit, sub discessum vestrum, aveo scire, qvos homines hospitio acceperim, qvo genere, qva patria orti, qvo fato ad penates meos perveneritis, qvod cum ordine retulissent, sorti eorum condoluit. Tum Sigmuudus, sua etiam inter-

esse respondit scire, qvo hospite tantisper excepti, qvo nutricio educati fuerint, vitamqve suam profiteri ni gravaretur, oravit. Ulfus itaqve hoc modo orsus est; vitam inqvit meam hoc modo refero.

CAP. X.

Vita Ulfi seu Thorchelis Thurrafrostii.

Colonus opulentus nomine Thoralfus in Heidmarchia Uplandorum provincia habitabat, Uplandorum Regum præfectus seu qvæstor (Syslumadur), uxor ei Ydum, & ex hac; filia nomine Ragnhildis, raræ formæ virgo. Non procul inde colonus alter nomine Steingrimus, vir melioris notæ, nec parva in re, uxor ei Thora, filius Thorkell, bonæ spei, roborisqve & staturæ magnæ, arcus sagittarumqve peritus, hybernis semper temporibus, cum lacus & flumina concrescerent, geluqve obducta nive terra omnino rigeret, cum sociis per tesqva; solitudinesqve, feras avesqve insectari solebat, cognomen inde Thur-

Thurrafroſt, ſeu aridum gelu contraxit. Hic filiam Thoralfi Ragnhildem, opera patris, de ſucceſſu licet deſperantis, uxorem ambiebat, pater virginis, nobilioribus nuptiis, eam juncturum ſe reſpondit, reſpectu tamen amicitiæ mutuæ, nolle ſe eum nimios licet ſpiritus gerentem increpare. Hac repulſa infenſus juvenis, animum amore virginis flagrantem ad raptum intendit, nactusqve occaſionem, dum qvæſtor ad colligenda tributa profectus eſſet, virginis lectum ſociis ſuis comitatus accesſit, eamqve ulnis exceptam, in domum patris deportat. Is vero offenſus, rem eum ſupra vires aggredi pronunciavit, mandavitqve ut ad patrem protinus referret, recuſantem domo expulit, pulſus, virginem ſociis duodecim ſuis, a teneris colluſoribus in ſylvam ſecum duxit. Præfectus domum rediens, ut raptam filiam cognovit, cum centum viris ad domum patris profectus, filium tradi ſibi filiamqve reddi mandavit; neutrum domo contineri ſua confeſſo, anxie ubiqve inqviſitum, ad ſaltus luſtrandos converſi, qvadrifariam dividebantur, ſingulæ turmæ triginta ca-

pitibus conſtabant. Tandem duodecim juvenes, unaqve fœmina brevi ab iis intervallo, per ſylvas, oberrantes obſervati, raptoresqve agniti invaduntur, qvi ſe circumcingi animadvertentes, qvid facto opus eſſet, invicem conſultant. Collis erat vicinus, qvo ſimul aſcenſo, lapides in ſubeuntes jaciunt, dum pugna fervet, Thoralfus ipſe lethali vulnere ſauciatur, duodecimqve comites occiduntur, ſeptem e Thorkelianis cæſi, reliqvi qvinqve vulnerati, ipſe intra ſylvam latebras qværit, Ragnhildis recepta, domum reducitur. Paulo poſt Thoralfus ex vulnere deceſſit, gladioqve Thorkelis occidiſſe perhibetur. Is ad patrem parum ſaucius cum ſociis graviter vulneratis omnibus rediit, ibiqve ſimul ſanati ſunt. Secundum hanc cladem, Uplandi in publicis comitiis Thorkelem raptus cædisqve tot hominum reum proſcribunt, qvo cognito pater exeſſe eum domo jubet, dum inqviſitio repetita duret, monſtratoqve antro, nemini niſi ſibi ſoli cognito, intra rupes qvæ proximum fluvium coercebant, eò qvæ ad victum pertinebant, inferri curat; hoc aſtu inqviſitores

elusi. Tandem tædio ingratæ mansionis, virginisqve desiderio, ad ædes Thoralfi reversus, Ragnhilde denuo rapta, ad montanas solitudines, sylvarumqve abdita fugit, exstruitqve domum; qvam jam annum decimum octavum, ait, incolo, tot annos Thuridis filia mea nata est, (ex his patet Anno Salutis DCCCCLXVI. Thorkelem eo concessisse, eodem anno Sigmundus etiam natus est) atqve his vobis vitam meam exposui. Sigmundus admirandam confessus, verum non satis benè, se ei educationis officia rependisse, qvod filiam ejus imprægnaverit, id enim eam sibi retulisse, atqve hanc fuisse præcipuam discessionis caussam, qvod veritus sit, ne in offensam ejus incurreret: respondentem, dudum sibi amores eorum cognitos, nec se impedire sustinuisse, Sigmundus orabat, ne alteri eam elocaret, aut enim eam, aut omnino nullam se ducturum. Thorkell meliori elocari non posse præfatus, petivit vicissim, si contingeret eum apud principes, aliqvid posse, ut sui nominis memor, operam daret, ut popularium suorum gratiam, impunitatemqve sibi conciliaret.

tædere enim jam vitæ tam solitariæ. In id Sigmundus operam suam pollicitus est. Post mutuam salutationem, Thorkell domum, illi Hladas ad Comitem profecti, qvinam essent exposuerunt, præfectorum nempe illius in Færeyis occisorum filii, ejus se auxilium spectare, cui patres eorum serviverint. Comes ignotos qvidem sibi juvenes ait, præfectis tamen haud dissimiles genere ortumqve, factis optime probaturos; interea alimenta ipsis patere; locus iis apud emissarios assignatus. Annus hic a nato Salvatore DCCCCLXXXIV. numeratur.

CAP. XI.

De receptu puerorum in aulam Comitis Haconis.

Eo tempore Svenus (Patriô idiomate Sveinn; Svenonem vulgò verterunt.) Comitis Haconis filius admodum adolescens, in aula patris vivebat. In ejus se gratiam Sigmundus ludicris exercitiis, cum insinuasset, sollicitabat ut patri se commendare dignaretur,

sibi

ſibi namqve piraticam in animo eſſe. Nobile Sveno propoſitum viſum. Interea tempus ad feſtum Jolenſe extrahitur, ad id præſentia ſua celebrandum Comes Eiricus, e Vicha ubi reſidebat acceſſit, is non ſolum cauſſam Sigmundi, apud patrem promoturum ſe, ſed etiam tantum ei ſubſidii, qvantum pater, præſtaturum, ultro pollicebatur. Finito feſto Sigmundus Comitem ſupplex orabat, meminiſſe dignaretur, qva fide, qvo conatu qvo ſucceſſu pater ſuus, patruusqve eum coluerint, & qvam in ipſos gratiam neqviret, ejus partem in ſe impendere haud gravaretur. Comes magnum qvidem damnum, morte tantorum virorum ſibi illatum, reſpondit, pœnamq́; interfectores ejus promeritos, & per occaſionem, vindictam; qvid autem poſtularet qvæſivit? inſtrui ad piraticam optavit, vel rerum ſuarum acceſſionem, vel mortem qvæſiturum. Comes laudatô propoſitô, primô vere, dum pro more expeditionibus vernis ſinguli accingerentur, ulteriorem ſuam voluntatem explorare juſſit, interpellatus, longam navem qvadraginta claſſiariis, nec iis

qvidem delectis, instructam, qvod pauci ejus, utpote hominis extranei, & inexperti ductum secuturi viderentur, se ei suppeditaturum pollicitus est, qvi actis gratiis, Eirico qvantum esset patris subsidium retulit. Exiguum qvidem respondit, verum spe emolumenti, haud destitutum, aliamqve ei totidem viris, sed longe melioribus instructam suffecit. Inde qvantum auxilii impetrâsset Sveno exposuit. Is conditionem suam qvalis tunc esset neutri eorum comparandam respondit, tertiam tamen, se ei etiam qvadraginta sociis nauticis omnibus domesticis suis, atqve ideo acri & fido satellitio instructam traditurum promisit, nec segnius qvam pollicitus est, præstitit, ea enim manus cæteros milites anteibat.

CAP. XII.

De prima Sigmundi expeditione piraticâ & qvi eam secuti sunt honores, Thorchelisqve restitutione & subsecuta promotione.

His navibus militibusqve instructus Sigmun-

mundus e Thrandheimo in Vicham, inde per Helle pontum Danicum in mare Balthicum evectus, orientalia littora passim lustrat, declinatis semper iis, qvibus se, imparem judicabat, negotiatoribus qvoqve missis; inde lucri exiguum partum. Procedente æstate in reditu ex oriente, ad Elfarsker / Scopulos Gothalbiæ qvinqve naves piraticas excubantes offendit, quibus ut imparem se auimadvertit, in angustum adjacentis sinus ostium naves deduxit, ne circumveniri a multidudine posset. Cumqve pluribus aditus non pateret, hac oportunitate aliqvid audendum ratus, naves lapidibus onerat, prælioqve se accingit. Thorer navi a Comite Eirico acceptæ præfectus, ipse qvam Svenus tradidit, duxit, nomenqve utriusqve piratis sciscitantibus professus, ducem eorum Randverem appellari cognovit, qvi conditionem afferebat, deditionis aut pugnæ. Pugnam Sigmundus elegit, primo lapidibus, mox sagittis eminus, cominus deinde gladiis pugnatum, majori Randveris clade. Suos itaqve acrius castigare, qvod ab homuncionibus vinci se paterentur; illi viciſsim me-

metum illi exprobare, qvodqve increpare satis, pugnare autem parum didicerit, hortari, ut ipse pugnam viro dignam capesseret. Nave igitur prætoria, Draconis imagine insigni propius applicata, saucios removit, integrosqve in eorum locum restituit, qvos ex aliis navibus, qvarum usus in angustiis nullus erat, desumpsit. Jamqve pugna denuo instaurabatur, pari animorum, viriumqve ardore, videns autem Sigmundus parum profici, navem Randveris, cum duodecim militibus conscendit, secutus Thorer, cum qvinqve comitibus, qvi magna strage invecti, obvios qvosqve vel fuderunt, vel fugarunt. Dux indignatus suos sterni, pelliqve in puppim, magno impetu in Sigmundum fertur; diuqve ipsi duces manus inter se conseruerunt, donec Sigmundus, vir ambidexter sinistrâ gladio in sublime jactato, clypeo dextra manu apprehenso, inevitabilem ictum ei inflixit, qvo pes dexter genu tenus, mox etiam caput amputata. Inde sublato clamore, victoriæ signo, reliqvos duce orbatos, incussus pavor, cum tribus navibus in fugam compulit; qui

qvi draconem ducebant, ad unum omnes occiſi ſunt, prædaqve ingens, & duæ naves interceptæ; triginta eô præliô Sigmundus amiſit, vulnera deinde obligata, paucique dies qvieti dati. Exinde in Daniam, mox Vicham Norvegiæ navigatum, Sigmundusqve magna cum gratulatione, a Comite Eirico, cum tantis ſpoliis redux exceptus, ubi tuta per hyemem manſio, hoſpitiumqve oblatum: verum relictis ibi duabus navibus, reliqvis ad Comitem Haconem in Trandheimum devectus placideqve admisſus, hominum deinde ſermonibus celebrari cœpit, ibi hyems non ſine honore tranſacta, feſtôqve Iolenſe ipſe cum patruele Thorere, in aulicorum purpuratorum numerum, qvi ingens dignitatis gradus, inſcriptus eſt. Anno ejus ſeculi LXXXVI. Hoc eodem feſto durante, Sigmundus in forum Froſtenſe profectus causſam Thorkelis Thurrafroſtii apud Comitem egit, ibiqve in gratiam Sigmundi ab exilio revocatus eſt, impunitasqve data, nec intra hos terminos gratia conſtitit, miſſi qvi eum in domum Comitis cum uxore, & filia deducerent, ubi

ſimul

ſimul hyemabant: proximo vere Thorkê-li præfectura Orkadalenſis commisſa, ubi deinceps longo tempore habitàvit.

His annis hyberno tempore Norvegi quidam mercatores, numero duodecim, ttanſito monte Kiolo in Sveciam profecti, merces coemebant. Verum forte intervenieite de pretio lite Svecorum unum Norvegus occidit; quod cum ad Eiricum Victorioſum qui Sveciæ ſceptra illo tempore tenebat, delatum esſet, per emisſarios duodecim Norvegos occidi fecit. Id ulturus Hacon â Sigmundo quærit, quonam proximâ æſtate piraticam dirigere decreverit? Comitis imperio ſe pariturum reſpondit: Sveciæ ergo littoribus naves advertito, ait, mementoque civium meorum, nuper, ſed hucusque impune occiſorum; tentaturum occaſionem cum pollicitus esſet, delectisſimo milite, aulicis piratis immixtis, eum inſtruxit. Omnes enim Sigmnundum ducem ſequi, priori expeditione, famâ jam decantatisſimam anhelabant. E Thrandheimo igitur in Vicham delatus, novo ibi milite, Eirico annitente, auctus. quinque navi-

bus;

bus, trecentisque ſociis nauticis in Daniam ſolvit, mox Sveciam petit, naves in ſtatione collocat; terramque cum univerſis copiis conſcendit, agros populatur, villas diripit inceditque, homines occidit, alios in ſylvas & ſolitudines fugat; & qvousque licuit, perſeqvitur. Non procul inde præfectus regius, nomine Biornus, collecta magna agreſtium manu aditum ad naves iis intercluſit. Sigmundus ſuis in cuneum coactis, fronte a ſe & patruele inchoata, & incremento binarii, perpetua ſerie ſurgente hoſtilem aciem perrupit: cæſi e Svecis multi, & in his Sigmundi gladiô ſignifer. Tum demum præſidiaria Biorni cohors, conferta clypeis acies, impugnata & perrupta eſt; ipſeque Biornus eodem duce cæſus, reliqui in fugam verſi, quos in peregrina terra longius inſequi, periculoſum viſum. Præda omnis ad naves deducta eſt, inde Holmgardum, ſeu Rusſiam verſus expeditio mota, inſulæque & promontoria infeſtata & direpta.

Duo erant fratres, limitum Sveciæ cuſtodes, Vandill & Adill, qui nunquam minore navium numerô, pro cuſtodia regni,

regni, qvàm octo,&duobus draconibus (naves draconum forma ſtructas, hoc nomine facili⁹ ut veteribus ita etiam mihi exprimere placet) excubare ſolebant. Hiſce Rex, cognita irruptione Sigmumdi, mandata dedit; ut ipſum cum ſuis interficerent. In reditu e Rusſia, cum tempore autumnali, ad inſulam quandam Sveciæ in ſtatione esſent, Sigmundus ſuos monuit, haud in amica terra in præſens ſe conſidere; vicina loca, ſedula inſpectione luſtranda. Conſcensâ igitur inſulâ; ad averſum latus naves octo, duos dracones animadvertit, agnovitque præfectos limitum Sueciæ; itaque ablatis opibus omnibus, lapidibus naves replet, ſeque ad pugnam quàm accuratisſime parat. Mane inſequentis diei; præfecti Suetici naves in eos dirigunt, queruntque quinam esſent, Sigmundo nomen ſuum edente; non ultra verbis aut quæſtionibus opus erat, confeſtim eum Sueci, omnibus viribus adoriuntur. Vandilis dracone Sigmundi prætoriæ cominus applicato, ingens pugna exorta: tum Sigmundus ad ſuos, fruſtra, inquit, & ad ultimam usque defatigationem

nem, hic pugnabimus, hoſtilis navis hodie ut prius nobis conſcendenda eſt; tota vis belli intra foros ejus & tranſtra cogenda, me igitur, prima pericula mihi depoſcentem, fortiter ſeqvimini. Atqui his dictis navem, magna cohorte comitante tranſcendit, unoque & altero occiſo, tanto impetu in hoſtes fertur, ut cedentes paſſim ad puppim ſe proriperent. Ei igitur Vandill, infeſtis armis animiſque in occurſum tendit, longoqve tempore, qvaſi e provocatione inter ſe certant, qvoad Sigmundus ad ſolitam artem confugiens, mutata manuum uſu, ſiniſtrâ ei dextram præcidit, qvâ unà cum gladio, in terram decidente, inermis alio ictu occiditur: inde militari clamore, triumphantium more ſublato, territus Adill, fratrem cæſum judicans, trepida fuga cum quinque navibus, præſenti ſe periculo exemit. Dracone altero, quem Vandill duxerat, cum quatuor reſiduis navibus, magnaque præda potitus Sigmundus, nemini ex hoſtibus pepercit. In Daniam reverſus, tuto per complures dies qvievit, obligatiſque & ex parte ſanatis vulneribus,

in Vicham ad Comitem Eiricum trajecit, benigneque exceptus, in Trandheimum ad Haconem properavit, cui hæc expeditio longe gratisſima, magnisque laudibus & benevolentiæ ſignificatione celebrata, majori etiam gratiâ & favore, repenſa. Hyems apud Comitem Sigmundo Thorerique cum parte copiarum, exacta eſt, reliqua pars in Vicha per villas ſparſa hyemavit.

CAP. XII.

De tertia Sigmundi expeditione.

SEqvente vere, Comes pro more Sigmundum rogavit, quonam per æſtatem claſſem dirigere proponeret? id vero in Comitis poteſtate ſitum reſpondit; non amplius regeſſit Comes, author tibi ero, ut Svecos irrites, in occidentem curſum vertito, prope Orcades. Ibi pirata ingens, mihi valde inimicus, multorum malorum in ditione mea patrator, nomine Haraldus Jarnhaus, ſeu ferreum caput vagari ſolet; hunc

hunc ut quæras, deinde, si possis, occidas velim, exilio namque eum mulctavi. Investigaturum se, & si de illo certior fieret, etiam conventurum pollicetur. Octo navibus instructus, Norvegiâ solvit, draconem Vandili oblatum Thorer, Sigmundus qvem Randveri eripuit, direxit. Longum tempus in mari occiduo, absque præda tritum, ad Anglesiam seu Monam, in Haraldum decem navium ducem incidit, inque posterum diem, prælium mutuo consensu indictum est: maneque ejus diei, sub ortum solis, pugna, maxima utrinque contentione, in vesperam usque producta, quoad tenebræ prælium dirimerent, sequenti die repetendum. Et jam ad prælium Sigmundus se accinxerat, cum Haraldus eum inclamans, an adhuc bellum in animo esset quæsivit? Sigmundus nil aliud proposuisse respondit: hanc jam conditionem, ait Haraldus, qvam antea nunqvam tibi tamen offeram, nimirum ut societatem inter nos contrahamus. Ea vox magna utriusque partis militum assensu excepta, necessarium vociferantium, ut collatis in commune omnibus, fœdera

jungant, paucos deinde eis pares futuros. Sigmundus esse quod obstet, respondit, quominus reconciliarentur, Haraldo intentius sciscitanti, Comitem Haconem se ad caput ejus, sibi deferendum ablegasse, revelat. Novi inquit Haraldus malum semper mihi inde sperandum, vestrum tamen magnum discrimen est, tu quidem vir strenuissimus, is autem, hominum pessimus; Sigmundus haud pari æstimatione se eum censere regessit. Et jam utriusque partis milites, ob societatem conciliandam annitebantur, & obtinuerunt tandem, ut coalescerent, omniaque spolia, in commune collata sunt. Inde maria per æstatem passim infesta reddiderunt, nec erant multi, qui vim eorū sustinerent. Autumnali tempore, Sigmundus se in Norvegiam rediturum pronunciavit, hic ergo, ait Haraldus, ab invicem separamur, Sigmundus ut se quoque sequeretur hortatus est, hoc enim modo ex parte mandatis Comitis satisfieri, si eum in Norvegiam ad illum deduceret: quo fine respondit Haraldus in manus inimici mihi infensissimi memetipsum traderem? hæc tamen ait Sigmundus

dus meæ curæ committo, certe respondit Haraldus, & tibi fidem habeo, & tu ad præstandam obstringeris, tuamque fidem sequar. In Norvegiam simul navigantes, Hordiæ naves appellunt; ibi cognitum, Comitem in Sundmæriæ prædio **Borgund** morari, eò igitur naves dirigunt, inque Steinavogi statione collocant, mox relicto Haraldo Sigmundus cum duodecim comitibus, lembô ad Comitem vehitur, libuit enim eum absente Haraldo primum convenire. Eò cum ventum esset, Comitem ad mensam potantem deprehendit, ingressusque salutat: comiter eum, Comes pro more excipit, eique sellam substitui curat, jubetque quæ gesta sunt, exponere. Omnibus candidè & ordine recensitis, sine tamen Haraldi mentione, Comes eorum quæ circa illum inprimis cognoscendi avidus, cum nimium narratio differri videretur, narrantem interfatus, Haraldum ne convenisset, quærit? imo respondit, remque ut gesta est, qvoad societas inita esset, exposuit. Suffusus rubore Comes, parum conticuit, deinde respondit: aliàs quidem negotia mea felici-

us quàm hac vice, gerere ſolitus es Sigmunde. Atqui is, reſpondit Sigmundus, jam præſto ſe tibi dediturus adeſt, in mei autem gratiam confido, te nihil in eum durius ſtatuturum, quam ut incolumitate vitæ membrorumque & patriâ reſervatâ, tuo arbitrio punias. Non ſic reſpondit Comes, nam quamprimum ejus compos fuero, occidi jubebo; ad ea Sigmundus, qvantacunque pecunia tu eum mulctaveris, ego tibi obligabor. Comite nullam pactionem admittente, aut veniam indulgente, concitatior Sigmundus, parum feliciter mihi, & quidem in malum inſerviisſe tibi ceſſit, ſi uni homini vitam veniamque non impetrabo; proinde hinc abibo, terraque tua egrediar & aula, illius tamen hominis vitam care ut emas velim, ſurgensque triclinio excedit. Comite tacito in eodem locô conſidente, inque inſolentis ſubitæque rei admiratione defixo, cumque non eſſet, qui pro Sigmundo intercedere auderet, nec is ejus miniſterio carere ſuſtineret, omnium votis occupatis, iratus jam, inquit, Sigmundus eſt, certe haud exiguo noſtro damno hinc diſcedet: nec ta-

tamen discessurum confido, firmiter proposuisse cum responsum esset, jussit eum arcessiri, se namque propositas ab illo conditiones accepturum. Accitu itaque suo redeuntem, Comes prior amicis verbis affatus, oblatas se conditiones, haud recusaturum promisit, neque enim eô carere velle. In hæc itaque fides data acceptaque est, inde Sigmundus ad Haraldum profectus, quod convenerit exposuit. Is fidem quidem Comitis dubiam præfatus, nihilominus ad eum Sigmundo deducente profectus est, incolumisque dimissus in Halogiam concessit, ibique per hyemem remansit. Sigmundus autem cum Thorere, in maxima gratia apud Comitem, cum magno comitatu, magna in suos, quos sumptuosissimè alere consuevit, armisque & vestibus instruere, liberalitatis fama.

CAP. XIV.

De Færeyensibus.

Interea Aussur Hafgrimi filius in nutricaru Thrandi de Gata, usque ad maturam ætatem, adolevit, vir strenuus, rebus

gerendis idoneus fertur: cui Thrandus conjugem celeberrimô illis in insulis stemmate ortam conciliavit, imperiumque in insulas cum eo ex æquo partitus, territorium quod pater ejus rexerat, ipsi, unà cum patrimonio Sigmundi Thorerisque universo, titulo satisfactionis, ob cædem patris sui permisit: omnia namque ad arbitrium, nutumque Thrandi gerebantur. Tria itaque Auffur prædia possessione tenebat, in Sudureya Hof patrimoniale, Skufeyam præterea cum Dimone majore, insulas Sigmundi Thorerisque hæreditarias: cumque in Færeyas celebris Sigmundi patruelisque fama pervolâsset, magna cura sibi, tum paternæ cædis rei, tum etiam insessor patrimonii eorum Auffur, ab iis cavebant. Castrum in Skufeya ædificatum est, qvod is per vices inhabitabat; id autem in Skufeya unqvam exstructum negabat Clarissimus Debes, cum hac de re, cum illo conferrem. Codex Flateyensis affirmat, Skufeyamqve his verbis describit: Skufeya inquit, prærupta insula est, naturâ propugnaculum, præterqvam unicâ viâ inaccessa, hanc ferunt viginti aut triginta propugna-

pugnatoribus, exercitui quantumlibet magno inexpugnabilem. Dimoni majori Præpositus Debes id tribuit, nec diffiteor castrum ibi exstructum, utramque enim insulam Auſſur poſſeſſione tenuit, legitimis hæredibus ereptam. Inter prædia ſua, in diverſis his inſulis ſita, nunqvam absque comitatu viginti virorum commeabat, domi autem mercenariis ſervis, unà computatis, triginta capita alebat, nec erat eô toto Færeyarum diſtrictu, Thrandô exceptô, alter opulentior.

CAP. XV.

De religione Sigmundi, Comitisqve idololatria.

JAmque Sigmundus opibus rerumque gerendarum ſcientiâ, nominisque famâ in tantum profeciſſe videbatur, ut vindicandæ paternæ cædis, animum tuto ſumere poſſet. Itaque Haconem adit, exponitque ſe omiſsô piraticæ rei ulteriore exercitiô, patriam paternæquæ cædis vindictam meditari: neque enim ulterius

ferre posse opprobrium neglectæ ultionis, ad id autem perficiendum, auxiliis consiliisque ejus opus esse. Comes vastum oceanum, nec longis navibus superabilem, intercedere præfatus, majoribus navibus opus esse, duas a militibus optimè instructas, ei se traditurum promisit, eademque hyeme expediri curavit, ut proximo vere paratæ essent, accitusque Haraldus Jarnhaus in itineris societatem. Abiturum Comes honoris gratiâ domo deduxit, honoremque verbis commendans; is, inquiebat, domo deducendus est, cujus reditum optamus, mediâque viâ, qva religione teneretur, quæsivit? meo robori, & animi fortitudini plurimum tribuo, cum respondisset, id verò piaculum ait Comes. Illius numen implorabis, cui, ego plurimum tribuo, Thorgerdi nempe Hordabrudræ, eoque nos conferamus successum inde capturi. Paruit Sigmundus providentiæ Comitis, fortunam suam commissurus, in sylvam secesserunt, aversô trámite, in viretum arboribus cinctum quam plurimis provecti, ibi templum magnum, ligneis sepibus circumvallatum, splen-

ſplendidum valde, cujus cælaturæ aurô argentoqve replebantur, Comes Sigmundo, paucisque comitatus ingreſſus eſt. Multa ibi idolorum copia, feneſtræ vitreæ multæ, nullum umbræ locum relinquebant: in intima ædis parte muliebre idolum ſtetit, veſte ſplendidâ, ante quod Comes ſe pronum in ſolum projecit, longoque tempore jacuit; deinde ſurgens Sigmundum monuit, munere aliquô placandum, argentumque ſellæ, quæ ante idolum ſtaret, imponendum, omenque inde capiendum. Annulum inquit, quem geſtat expeto, inde namque fortunam expectabis, eum ſi impetravero, exauditi ſumus, munusque acceptum eſt. Annulum autem brachiô detrahere fruſtra tentavit, qui ab idolo, flexis digitis acrius premi, Sigmundo obſervatus: ſecundâ igitur vice, Comes ante idolum proſtratus, lacrymasque fundere viſus, ubi ſurrexit, annulum quaſi traditum, nullo negotio detraxit, Sigmundoque tradidit, mandans ne alienaret, id quod ille etiam pollicitus eſt. Exinde ab invicem diſcedebant, Sigmundus Færeyas duabus navibus, ſingulis

lis quinquaginta ſociis nauticis inſtructis petebat, aliam Thorer dirigebat, Haraldus autem Jarnhaus, eadem qua Sigmundus vectus erat.

CAP. XVI.

De Expeditione Sigmundi in patriam.

Secundis ventis ſimul navigatum, quoad aves inſulanæ conſpectæ, inde exorta per aliquot dies tempeſtas, naves diſſipabat; aura verò ſecunda iterum flante, nautæ Sigmundo ſe ab Auſtureya non procul abeſſe indicarunt, eò deferri unice expetenti, quò Thrando potiretur. Ut verò inſulæ appropinquatum eſt, ingens procella e regione oborta, inde eos repulit, ſine ulla Sudureyam deinceps contingendi ſpe, (Magiſter Debes, in ſua Færeya referata fol: 210. tradit antiquam adhuc in Færeyis cantilenam extare, quæ Thrandum artibus magicis tempeſtatem adverſus Sigmundum concitaſſe, magnoque periculô, eum implicâſſe, priusquam terram contingere

gere posset, perhibet) ad Svineyam magno labore nautarumque dexteritate antelucanô tempore perventum. Decem ad naves relictis, quadraginta ad prædium, ubi Biarnius habitabat, contendunt, effractisque foribus omnibus, eum in lecto acquiescentem capiunt foras que educunt. Is quæsito quo duce hostilia molirentur, agnitoque Sigmundô; in eum ergo ait, sævies, qui licet paternæ neci interfuerit, nihil tamen durius in te statui passus est. Memoriæ ne elapsa est sententia mea, cum te neci destinarent hostes, quâ tamen cum patruele Thorere, præsenti periculo subtractus es? memini respondit Sigmumdus, quando ergo ait præmium capiam? jam nunc ait Sigmundus, vita enim donaberis, reliqui meo arbitrio stabunt. Biarnius hoc statu in id haud gravate consensit, mecum itaque ait Sigmundus, in Austureyam proficiscere. Eò, respondit Biarnius, non magis hoc vento, quàm in cœlum pervenire poteris; ad Skufeyam igitur si forte Aussur domi esset, eum se comitari jussit, nec invitus paruit. Proximâ nocte iter institutum, & antelucanô

tem-

tempore eò nullis excubitoribus viam, quà accessus patebat, (Dimon major secundum antea citatam relationem fuisse videtur) custodientibus deventum. Castello appropinquantes, Aussurem cum triginta viris eò se proripientem deprehenderunt; qui ut Sigmundum cum Biarnio, & quinquaginta militibus, ad oppugnationem paratum vidit, cognitô duce, tu inquit videris, haud sine caussa nos aggredi, pacem quàm prælium malo, conditionibus ex arbitrio virorum, his in insulis optimorum uterque stabimus; Sigmundus suo solius arbitrio staturum respondit, secus pacis spem nullam fore. Abnuit Aussur, neque enim vel eorum, vel caussarum tantum discrimen esse, ut id sibi necessarium duceret. Ferocior Haraldus Jarnhaus, omnes pacis conditiones respuit, itaque Sigmundus suos ad castrum oppugnandum eduxit, ipse universo perlustrato, sicubi accessus facilior esset circumspexit, inde magno ardore pugnatum nec minori propugnatum est. Habitus Sigmundi hoc modo describitur, galeam gestabat, gladiô cinctus, optimi generis securim acuminatam, & in cornua

cornua extenſam, manubrio ferrato argento obductam, manu tenens, tunicam deinde rubram levis lorica texit: omnium etiam inimicorum conſenſu conſtat, nunquam tantum virum in illis inſulis viſum. Uno loco vallum ex parte collapſum cum obſervaſſet, ſecuris apici vallis infixa, manubrio ſe Sigmundus allevans, murum conſcendit, mox propugnaturum unus occurrens infeſtô eum gladiô petivit, verum ſecuris objectu, ictum fruſtratus, alium ei in pectus inflixit, mortuumque intra ſepta deturbauit. Accurrens itaque Auſſur, gladiô ictum intentans, eodem modô, non ſolùm eludebatur,ſed etiam contrario ictu, manu dextrâ mulctabatur, gladioque cum manu decidente, aliô iterum ictu, pectus univerſum perfoſſus, gladiô, manu, vita deinde privabatur. Tum irruentem in ſe multitudinem, òbliquâ deſulturâ fruſtratus, ſtans in planitiem pervenit. Occiſo Auſſure, iis qui remanebant, deditionem imperat,ſec⁹ fame & flamma, eos confecturũ minatus: nihil amiſſo duce deditione tutius viſum,itaque Auſſuris filius admodum puer, nomine Leiſus, unà in victoris poteſtatem

ſtatem pervenit. His geſtis, Thorer Sudureyæ allabitur. Exinde crebris inter Sigmundum & Thrandum internunciis, eo res deducta eſt, ut ad præfinitum in Straumseya publico foro diem, invicẽ convenirent. Eò cum ventum esſet, Thrandus valde hilarem ſe & affabilem præbuit, cumque de compoſitione actum esſet, non eſt quòd diffitear ait, rem indignam me perpetrâsſe, dum ſpectator cædium parentum veſtrorum adfui, id quod maxima honoris exhibitione tibi jam rependam, arbitrio tuo, omnes conditiones inter nos edicendas permisſurus. Illud reſpondit Sigmundus haudquaquam mihi, ſed Comiti Haconi depoſco, illius arbitrio uterque parebimus ad eum ſimul profecturi, ſecus nulla compoſitio interveniet. Id quod etiam æquius duco, Thrandus iterum inſtitit, ut Sigmundus pro arbitrio ſuo omnia componeret, tantum ne exilio mulctaretur, vel præfectura excideret pactus: quod cum Sigmundus abnueret, lis omnis ad judicium Comitis remisſa eſt, decretumque ut æſtate proximâ, ambo ad eum in Norvegiam trajicerent. Eodem autumnô navis

alia

alia in Norvegiam remissa est, ipse Sigmundus cum Thorere & Haraldo Jarnhauso, in Skufeya hyemavit, magno familiariū numero stipatus, omnibusque eò quæ ad victū necessaria erant, affatim congestis. Annus, quô patrimonium suum Sigmundus recuperavit, fuit a nativitate Servatoris DCCCCLXXXVIII, quo tempore Haconem in Dania adversus Imperatorem Ottonem Tertium, sub auspiciis Haraldi Gormii pugnâsse, mox ab eo sub autumnum defecisse, Scriptores rerum Norvegicarum consensu testantur.

CAP. XVII.

De Sigmundo & Thrando, Conditionibusque pacis à Comite Hacone præscriptis.

PROXIMA æstate Sigmundus & Thrandus, per exploratores de iis, qvæ quisq; domi suæ ageret, sollicita inquisitione certiores, quæad navigationem requirerentur, sedulo parant. Prior Sigmundus, Thorere Jarnhausoque navigio receptis, viginti nautis in-

instructus portu solvit: Sunnmæriæ allapsus, compertô Comitem Haconem, non procul inde abesse, ilico accedit. Magna benevolentia cum sociis exceptus, cum pacta inter se & Thrandum exposuisset, vicit, inquit, Thrandus astu, me enim adire detrectat, nec venturum spero. Procedente æstate, cum non compareret, cognitum in altum provectum, ventis repugnantibus retro actum quassa nave rediisse. Tum verò Sigmundus delusum se a Thrando animadvertens, Comitem sollicitabat, ut conditiones utrique servandas ediceret; fuerunt autem ejusmodi. Cædes Bresteris & Beineris, singulæ in duplum, seu dupla hominis æstimatione, crimen plagii a Thrando in pueros admissum, cum ipsos in servitutem venderet, homicidio par, simplaque hominis æstimatione taxatum. Sententia capitalis in pueros lata, cum patres eorum occiderentur, consiliumque lethale, pariter æstimata mulctaque indicta. Quadrantes insularum, feudi jure, Sigmundo Thorerique debiti, Thrandi Aussurisque imperiô exempti, dimidiaque pars integri Sigmundo ad

adjudicata, altera dimidia Haconis Comitis fiſco, in compenſationẽ aulicorum ejus Breſteris & Beineris, ab Hafgrimo Thrandoque cæſorum. Hafgrimus ob innocentium cædem jure cæſus judicatus; nulla ſatisfactione compenſandus pronuntiatur: pari modô Auſſur ob invaſionem bonorum, prædiorumque alienorum, ubi injuſtus inſeſſor uſurpatorqve occiſus erat: mulcta omnis cum Thorere arbitrio Sigmundi dividenda. Thrando ſi præſcriptas conditiones admitteret, exilium remiſſum. Univerſas quidem inſulas beneficio meo, inquit Comes in feudum accipies, ſed ex mea parte tributa ſolves. Locũ ad verbũ reddere viſum eſt; utpote notatu dignum; Breſter itaque & Beiner, non quæſtores aut præfecti Haconis, licet hoc nomine indigitentur (vernacule Syſlemenn) fuiſſe videntur, ſed tantum vaſalli, inſulæque feudis, quæ franca vocant, annumerandæ. Cur enim ſuo beneficio, omnes inſulas ei permiſiſſet Comes, ſed tantum illam partem a tributis immunem, quam hæreditario jure accepit, ſi tributis & illa antea obnoxia fuiſſet. Nec Sigmundo damnum illud Co-

mes intulit, ut illud ceſſione juris ſui reparare neceſſum fuerit, neque Sigmundo plus qvàm amiſerat adjudicatum videtur; partis autem regiæ jam primum in proprietatem abſolutam Comitis delapſæ, tributa jure ſuo Comes exegit. Idem in Orcadibus obſervatum videmus, cum Rex Norvegiæ Sverer, parte earum cum Hialtlandia Comitem Haraldum mulctaret, antea quidem feudi titulo poſſeſsâ, ſed â tributis immuni. Sigmundus gratiis ob tantum beneficium impenſe actis, apud Comitem cum Thorere, integram hyemem remanſit.

CAP. IIXX.

De pactis inter Sigmundum & Thrandum.

PRoximo vere, cum Thorere comitatus, Haraldo Jarnhauſo in Norvegia relicto, in Færeyas conceſſit, publicumque conventum Thorshafniæ indixit, ubi Thrandus ſe quoque ſtitit: ibi Sigmundus graviter queſtus, quod conventis non ſteterit, conditiones tranſactionis, â Comite præ-

præſcriptas, in frequentia populi publicavit, poſtulabatque ut eas aut recuſaret, aut approbaret. Thrandus tergiverſando phaleratis verbis ſubterfugia quærens, honori ſe Sigmundi id tributum velle reſpondit, ut ipſe conditiones omnes ediceret. Sigmundus nihil cunctandum monuit, utque ſtatim absque ambagibus reſponderet juſſit, ſibi perinde eſſe, in quam partem inclinaret, nec diſplicere, ſi pactum reſcinderet. Thrandus pariturum ſe reſpondit, penſionis tamen terminum, quem Comes ſemeſtrem fecerat, relaxari petebat, interceſſioneque optimatum obtinuit, ut ternis penſionibus intra triennium, omnia in quæ condemnatus erat, ſolverentur. Tentaturus deinde Sigmundi patientiam, æqvum dixit, ut tanto tempore Sigmundus præeſſet populo Færeyenſi, quanto ipſe eum antea rexerat, qui tentatione nihil opus eſſe reſpondit, nunquam enim ad eum regimen illud rediturum. Providus igitur Thrandus Leifum Ausſuris filium educandum ſuſcepit; qvi & apud eum adolevit.

CAP. IXX.

De reditu Sigmundi in Norvegiam, ejusqve nuptiis & soceri ejus honoribus.

EAdem æstate Sigmundus in Norvegiam navigans, ante abitum primo triente ægre tamen extorto, tributa Comitis, ex insulis collecta secum devexit, apudque eum cum Thorere, & universo comitatu hyemem transegit. Hoc tempore Sigmundus in Orkadalum, ad Thorkelem Thurrafrostium, nutricium suum profectus, filiam ejus in uxorem petivit, id quod Thorkell amplum sibi & honorificum duxit. Nuptiarum festivitas Hladis magno apparatu, convivarumque frequentia, in septem dies, Comite celebrante, protracta. Eo convivio Thorkell, aulici dignitate auctus inque intimorum amicorum numerum receptus, deinde domum dimissus est, Sigmundo cum uxore apud Comitem remanente, quoad in patriam proximo autumno, anno nimirum seculi ejus nonagesimo primo cum

uxore

uxore & filia rediit; hyems ibi pacatè exacta.

CAP. XX.

De ſubterfugiis Thrandi

VEre novo comitiis Thorshafniæ magna frequentia celebratis, Sigmundus trientem alium reddere Thrandum juſſit, omnia autem reddenda dixit, niſi in optimatum gratiam, penſionum terminos relaxâſſet. Thrandus viciſſim poſtulavit, ut Leifo Auſſuris filio, de cæde paterna ſatisfacere haud gravaretur, penſionemque, quam exigeret, in illum tranſcriberet, in ſatisfactionem imputandam: id cum Sigmundus negaret, Thrandusque diutius fruſtra urſiſſet, tandem trientis dimidiū promſit, inficiatus, plures ſibi pecuniæ as in præſens ſuppetere. Tum Sigmundus admotam pectori ſecurim, impreſſurum minatus eſt, ni ſtatim univerſum ſolveret. Thrandus ferociam improperans, miſit, qui tabernam ingrederentur, & an quicquam crumena alia contineretur,

exquirerent; tantum argenti inventum est, quantum ea pensione Sigmundo debebatur: accepto argento ab invicem discessum est.

CAP. XXI.

De Sigmundi itinere in Norvegiam, reditu in patriam, transactione cum Thrando, & profectione in Norvegiam.

Eadem æstate Sigmundus reditus Comitis secum asportans, in Norvegiam profectus est, inque patriam reversus, ubi hyemen exegit, Thorere nunquam a se dimisso, magna enim populi gratia simul pollebant. Biarnius de Svineya fidem datam semper coluit, interque eum & Thrandum frequenter intercessit, secus res ad exitium alterutrius sæpius spectasset. Proximo vere in foro Straumseyensi residuum trientem Sigmundus postulabat, Thrandus vicissim compensationem ob Aussuris cædem filio Leifo reddi. Cum multi se interponerent, Sigmundus negabat

gabat Thrandum Leifo quam sibi pecuniam soluturum, in gratiam autem vestrum inquit differam solutionem, neque tamen vel debitum dono, nec in ullum alium transfero; itaque id temporis re infecta, foro discessum est. Deinde collectis tributis Comiti debitis, adulto autumno in Norvegiam, assumpto secum patruele Thorere, uxore domi relicta, transmisit, adque Comitem in Thrandheimum pervenit, ibique remansit, natus tum annos viginti sex, prælioque Jomsvi-kensi Anno DCCCCXCV. interfuit, Haconique omnium fortissimè militabat.

CAP. XXII.

De gestis Sigmundi in bello Jomsvikensi:

INprimis conflictus ejus cum Bujo Crasso Borgundarholmi Principe animi corporisque viribus illo bello sine pari memorabilis fuit, cum enim Dux Jomsvikensium Sigvaldus prælio excederet, Bujum ut idem faceret, inclamaret. Eodem mo-

mento Thorkell, ſeu ut alii volunt Thorſteinus Midlungus in Buii navem inſiliens, uno gladii ictu inferius oris labrum cum mento jugulo tenus ei dempſit, dentibus per foros diſperſis. Accepto vulnere Bujus, virgines Borgundarholmicas, Danasque, invito poſthac oſculo ſe excepturas ominatus, ſi unquam domum redire contigerit. Mox Midlungum recedentem, verum in lubricis navigii foris, ſangvine nimboque madidis cadentem vindice gladio bipartito diſſecuit; inde veluti in rabiem verſus, haſtam torquens malleatam (Brŋntroll vocant) in hoſtes irruit, ſuos vehementer, & verbis & exemplo hortatus, ad ſui imitationem. In promiſcua ſtrages editur, nemine furibundo athletæ occurrere auſo. Spectabat res ad interitum, aliis occiſis, aliis imminentem protinus mortem, ne qvicqvam levi ſubterfugio, ad exiguum temporis momentum declinantibus; itaque Comes alarum naviumque præfectos, in eum magno ſtudio fruſtra concitabat, plerisque vel fatigationem vel vulnera metui prætexentibus, cum formida-

dabilis Buji ictibus, caput suum corpusque subjicere singuli aversarentur. Mandat igitur Sigmundo Bresterino, cujus virtutem, multis præclaris facinoribus cognitam habuit, ut navem suam adversus eum dirigat, tantumque a se suisque malum submoveat, cui Sigmundus respondit: equidem inquit maximis tibi beneficiis me obstrictum agnosco, obsequium autem in præsens haud leve exigis, Buji gladio me objiciendo. Comes Hacon ut strenuissimum quemque militem deligeret, imperavit, qui obsecutus in Bujum movit: magnis ibi viribus, ab utraque parte concursum, Bujo insultum hostium animosè fortiterque excipiente, erat enim robore plane giganteo, quod contractus ab ægritudine accepti vulneris furor supra modum concitabat: hinc monstrosi ictus, obviis quibusque exitiosi etiam inspectantibus terrori fuerunt. Verum Sigmundus, nihil isto pugnæ genere se profecturum animadvertens, navem ejus cum triginta classiariis conscendit; in prora, adque latera proræ proxima acerrimè confligitur, donec fortuna urrumque ducem inter se

com-

commiſit, robore Bujus, agilitate Sigmundus præſtabat. Hic cum utraque manu per vices enſem rotare ſibi familiare feciſſet, ad notam artem confugiens, gladio ſiniſtra arrepto, alteram ei manum in medio internodii brachialis carpo, mox eodem gladio dextra prehenſo, alteram Bujo, ictus hôc artificiô illatos cavere neſcio, pari modo amputavit, ut pugnus uterque articulatim præciſus unà cum gladio ſtrictè comprehenſo in puppim prolaberetur. Qvo vulnere cum ſe amplius ad defenſionẽ omnino inutilem Bujus conſpiceret, mutilos & mancos lacertos binis illis ciſtulis auro refertis, quibus Strut-Haraldum olim ſpoliaverat, ingerens, ſonora voce exclamavit: e navi e navi, in undas proſilite ſinguli Buji milites. Hæc effatus ſemetipſum unà cum ciſtulis, in mare præcipitem deturbavit, atque ità hujus victoriæ gloria, penes Sigmundum ſtetit, qui ejusdem anni principio domum rediiſſe videtur, neque enim in Norvegia proximo autumno fuiſſe legitur, cum Comes Hacon civium ſeditione, ſervique ſcelere occiſus, infamem ſub hara foveam

ſuo

ſuo funere ad poſteros, omni ævo memorabilem reddidit. Ab his Petrus Claudii Undalinus in quibusdam diſſentit, auctoritate codicis, quod Chronicon Norvegiæ majus appellat: id autem ubi terrarum jam extet plane neſcio, forte exemplar quoddam hiſtoriæ Olafi Trygguini intelligit, levis tamen in his, quæ hucusque relata ſunt, diſſenſus, inter id, & hunc codicem obſervatur. Breſterem & Beinerem & Thrandum ſimul Færeyas rexiſſe Undalinus, Codex non Thrandum ſed Hafgrimum perhibet. Thorerem Thorgilſem appellat, Ragnhildem Thurrafroſtii uxorem Ingibiorgem, famulos Thurrafroſtio tribuit; Codex Flateyenſis nullum. Profugiſſe a naviculario Sigmundum & Thorerem tradit, noſter ſumma humanitate dimiſſos. Haconem Comitem univerſam Norvegiam rexiſſe, quo tempore Sigmundus ad eum venit, Undalinus ex eodem Chronico refert, cæteris omnibus repugnantibus.

Cap.

CAP. XXIII.

De Sigmundo à Rege Norvegiæ Olafo Trigguino patria evocato Christianisqve sacris imbuto, ejusque apud Regem gratia.

HAconi Hladarum Comiti in imperium, justus quidem, ei tamen ignotus, invisusque hæres, Olafus Trygguinus, titulo augustiore Rex, publico regni; subjectarum provinciarum; vicinarumque regionum bono successit, princeps inclytus in propaganda Dei gloria; Christianaque religione tam extra suæ ditionis limites, quàm in ipsius meditullio, agroque universo plantanda assiduus: nec tam pio proposito, vel proprio vitæ periculo, unquam destiturus. Is infelicium inter cæteros Færeyensium civium ethnicis adhuc tenebris mancipatorum misertus, anno secundum Codicem Flateyensem DCCCCXCVII. (Chronicon Snorrii manu scriptum octavum memorat) Sigmundum ad se per nuncios evocat, pollicitus se eum, virum in-

insulanorum maximum creaturum, si ad se venire non detrectaret. Qvi cupidine invisendi Regis accensus, profectionem nequaquam distulit, appulsusque oræ Norvegicæ in Nordmæria eum offendit, insignique benevolentia, habita insuper pro obsequio gratiarum actione, exceptus est. Comparatione deinde utriusque fortunæ instituta, ab utriusque patribus exorsus est; horum enim alter in conspectu filii tenelli, alter, prole quidem vitæ, non autem lucis participe facta, hostili manu, uterque insidiis & innocens sublatus est. Utriusque exinde statu commemorato, ut ad necem tenelli quæsiti a propinquis, Sigmundus, Thrando in se feralem sententiam pronunciante, Rex a Regibus Gunnhildis filiis, uterque in servitutem venditi, uterque inopes, & omnium auxilio indigentes; uterque ut propinquorum persecutioni obnoxii, ita peregrinorum ope, principumque gratia sublati, in exilium acti, possessionibus patriis, avitisque privati, postliminio tandem Divina ope, non solum restituti, sed etiam in sua quisque patria principes effecti. Nec natura quam

for-

ſorte magis diſſimiles, utrique enim formam, vires, ſtaturamque, parum ab invicem diſcrepantem competere: accedere artes exercitiaque utrique communia, ingeniorumque ſimilitudinem. Se enim à puero idololatriam, ipſo naturæ ductu exhorruiſſe, idem ſibi de eo relatum expoſuit. His invitamentis ductum, quo eam, quam natura, occulto quodam nexu, inter eos conciliavit amicitiam, conſuetudine firmareret; e patria ſua ad ſe acciviſſe; certum & eum ſibi res etiam majoris momenti perficiendas, nec ſibi damnoſas gratificaturum. Inprimis autem optandum, ne in poſterum, quos tanta communio conjunxit, diſſenſu, circa Divini numinis cultum disjungantur; id autem ope auxilioque iſtius magni Dei, qui cœlum terramque & omnia iis contenta, de nihilo creavit, quique eos, ipſis licet inſciis, ex omnibus periculis liberavit, obtenturum ſe facile ſperare. Expoſitaque ſummatim religionis Chriſtianæ doctrina, in magna apud ſe gratia futurum pronunciavit, ſi hac in parte ſibi non refragaretur: levem autem ſuam gratiam fore, præ illa Di-

Divina, præmiisque æternis cultoribus ejus destinatis. Ad hæc Sigmundus, non equidem Regem ignorare respondit, se Comitis Haconis satellitium militiàmque secutum, magnisque ab eo, utpote amicis familiaribusque fido, facili bono; inimicis, licet vi dolisque formidabili, beneficiis affectum, à cujus religione Rex toto ut dicitur cœlo dissentiat. Sed nec se, quantocunque eum amore complexus fuerit, potuisse ab eo hac una in re non dissentire, licet alium Deum, alium cultum meliorem ignoraret; jam vero ex iis, quæ Rex rationi conformia exposuisset, constare hunc cultum Haconiano longe præferendum, itaque in eum se facile consensurum. Hoc responso lætus Rex, eum cum omni comitatu sacro baptismo admovendum curavit, inque intimum amicitiæ gradum receptum, hyemem apud se magno in honore detinuit, constitutis, qui illum articulos fidei probè edocerent.

CAP. XXIIII.

De negotio religionis Christianæ â Sigmundo in insulis promoto.

Sub initium æstatis anni seculi istius DCCCCXCVIII. commeatu Clericisque ad Christianam religionem missu Regis in Færeyis plantandam instructus, omnibusque insulis summa cum potestate præficitur; prosperaque usus navigatione patriam repetivit. Mox comitiis provincialibus in solenni foro in Straumseya, frequenti populi confluxu, Olafum Regem Norvegiæ universis insulis se præposuisse promulgavit, id quod plures ei gratulabantur: adjecit deinde se in Christianorum cultus, moresque concessisse, in mandatis etiã habere universos & singulos omniũ insularum Færeyensium incolas, ad idẽ institutum convertere. Primus Thrandus respondit, æqvum esse ut cives omnes de tam arduo negotio deliberarent. Illud responsum cum omnium assensum subito meruisset, seorsum omnes ilico progressi, ad pe-

peregrinos ritus aversandos instigabantur. Cum autem Sigmund9 animadvertisset universum populum ad Thrandum confluxisse, seque solum Christianis tantū, qvi aderant, iisque paucis stipatum, nimiū se jam Thrando permisisse, affirmabat: redeuntes omnes concitatiores; contractis armis; vim videbantur illaturi, ni Thrandus sedasset. Hic caussa plebis ordinumque omnium in se suscepta, desistere incœpto Sigmundum jubet, fidemque suam interponere, nunquam proinde insulanos ad ea sacra recipienda adacturum, repugnanti hunc diem rerum suarum extremum futurum minatus. Videns autem Sigmundus, nihil in præsens se profecturum; adversus armatam concionem; cedendum tempori ratus, dextram quidem in id, sed simul verba dedit: regressusque è foro, in Skufeya permansit, indignè admodum ferens a civibus se ad tam triste promissum adactum, voce licet, vultu etiam & gestu præsentem animum fingeret. Vere autem subsequente, æstibus secundum omnium opinionem navigationis usum præripientibus, duobus navigiis, cum triginta comi-

mitibus in altum evectus, mandatum Regis etiam cum præſenti vitæ periculo exſecuturus, ad Auſtureyam adnixus, domum Thrandi corona cinxit. Qvem, effractô cubiculo, ubi acquievit, captum cum milites produxiſſent, his verbis affatus eſt; fortunam ut plurimum inſtabilem, vices variantem, hic conſpice, ſuperiori quidem autumno, tibi usque adeò faventem, ut tuo arbitrio leges ferres, nunc velut tanti favoris gratiæque in indignum collatæ pœnitentem, velut deditum meæ te poteſtati, commiſiſſe. Extorſiſti tunc mihi e duabus conditionibus, ſed iniquiſſimis, electionem alterutrius, dabitur etiam tibi e duabus, ſed valde diſparibus optio; idola diabolumque abnega, mitte vanam perſuaſionem, Chriſtum Chriſtianumque dogma, cultumque profitere, conſequentemque felicitatem æternam exſpecta. Si hæc diſplicet, opibus nudatus omnibus, extemplo moriere, mortuus ſuppliciis immanibus, iisque æternis afficiendus, Thrando veteres amicos ſe haud deſerturum reſpondente, proinus qui occideret delectus, traditam a

Sig-

Sigmundo securim gerens, ictum illaturus accessit; quo animadverso, Thrandus, siste paulum, ait, fandique copiam præbe, ubi agnatus meus Sigmundus? (eum enim alloquar,) is quæ velit promere jussit, tum Thrandus censuræ ejus pariturum se affirmabat, hanc etiam, quam imperaret, religionem sectaturum. Thorer Sigmundum ut interficeret, hortatus, cum persuaderi nollet, tuo respondit tuorumque amicorum excidio parcis, id vero se periclitaturum cum respondit, statim Thrandum cum domesticis omnibus baptizari, a præsente Sacerdote fecit, deinde per omnes insulas secum circumduxit, nec prius destitit, quàm abrogato paganismo, omnes Christo regenerationis lavacro ablutos consecrasset.

CAP. XXV.

De Sigmundo Thrandum in Norvegiam sine successu transportaturo.

Eadem æstate in Norvegiam navigatu-

rus, tributa regia ſecum avexit, Thrandũ etiam valde invitum, iterque ne quiquam deprecantem; provectus in altum, æſtibus tempeſtatibusque retro actus naufragium fecit, omnisque æris jacturam, nautis tamen omnibus, eorumque auxilio Thrando incolumi elapſo. Nihil iſto damno motus Sigmundus, reditibus regiis, propriis impenſis réſtitutis, (erat enim lauta in re) iterum fortunam tentaturus, ſecum Thrandum, multum licet obnitentem duxit, paulo longius provectos, conſimilis tempeſtas, ſine tamen rerum hominumque detrimento, nave tantum luxata, ad patrias oras repulit. Thrandus non eſſe, quòd aliam ſibi fortunam ſponderet, monuit quoad ſe invitum avehere tentaret. Hac pertinacia victus Sigmundus eum dimiſit, exacto prius juramento, quo Chriſtianam ſe religionem ſincere culturum promiſerat: nec quominus ea propagarerur coleretur que, modo impediturum; Regique Olafo, ſibique ſe fidelem, & obſequentem exhibiturum, aliosque ad idem faciendum exhortaturum, nec quenquam ab eorum obſequio ullis

ullis machinationibus averſurum. Edictum Regis, de religioſo Chriſti cultu, ſacrorumque Chriſtianorum uſu, cæteraque omnia religiosè obſervaturum, juramenti formulam, quàm accuratiſſime poterat, præſcripſiſſe Sigmundus perhibetur. Thrando domum remiſſo, ipſe quoque domi hyemavit, præcipite ſiquidem autumno poſtremò repulſus, quominus pelago ſe tertiò committeret, anni tempus appetente hyeme obſtabat, navem ergo per reliqvum autumni reficiendam curavit. Chronicon Norvegicum Danicum reliquias Orcadum, totam etiam Hialtlandiam, Sigmundum etiam ad Chriſti cultum perduxiſſe tradit, longumque tempus iſti operæ inſumptum, verum de hac re, alibi altum eſt ſilentium. Sigurdo Comiti Orcadenſium illud injunctum, quem & perfeciſſe nullum eſt dubium, non enim filius ejus Olafo obſes datus, ſtatim mortuus eſt, nec eô vivô obſequium Regi ſubtractum. Ex iis quæ de Sigmundo legimus planum eſt, in Færeyis his annis moratum, nec tempus

vacábat, quo tantam rem extra patriam expediverit.

CAP. XXVI.

De profectione Sigmundi in Norvegiam, & iis, qvæ eum inter & Regem intercíderant.

Vere proximo Sigmundus in Norvegiam, cum cenſu regio propriis impenſis reſtituto trajecit, longoque tempore apud Regem, magno in honore manſit, eique ordine, qvæ inter ipſum Thrandumque & alios indigenas geſtum eſſet, retulit. Rex, eô collaudatô, id tantum ad felicitatis eorum complementum reſtare dixit, quòd Thrandus ad ſe non fuerit delatus, omnia enim apud inſulanos corrupturum, utile namque omnibus exilium ejus futurum, ſuo enim judicio, omnium ſeptentrionalium hominum peſſimum eſſe. Qvodam die SigmundumRex ad certamen exercitiorum ſecum inſtituendū invitavit, quod cum poſt modeſtam excuſa-

cuſationem ſuſcepiſſet, ſagittandi natandique peritia, aliisque artibus, proximus ei judiciô omnium habebatur; in ſingulis namque aliquid deſiderabatur, quominus æquaſſe judicaretur, convivio adhibitus, tanta in æſtimatione fuit, ut tertius a Rege accumberet. Forte cum brachium menſæ imponeret, Rex annulum craſſum, cubitum ejus ambientem obſervans, oſtendi ſibi poſtulavit, quem detractum cum tradidiſſet, dones qvæſo mihi, ait, atqui decreveram, reſpondit Sigmundus, non alienare; Rex alium ſe ei redonaturum, nec pondere leviorem nec pretio promiſit. Hunc equidem non alienabo, reſpondit, id enim Comiti Haconi, qui eum peculiari affectu mihi donabat, pollicitus ſum, promiſſique fidem colam, mihi enim bonus vir viſus eſt, utpote qui me multis beneficiis affecerit. Tum Rex reſpondit, placeat Comes annulusque quantum voles, hic tamen fortuna tua deficit, hic enim annulus tibi exitialis quandoque futurus eſt, nec me id minus latet, quàm quo datore, & unde deſumtum acceperas, magis ut peterem, cupi-

pido amicos periculis eruendi; quam annuli possidendi permovit. Indignantis signum facies Regis, rubro repente colore prorsus sangvineo tincta præbuit, nec deinde se Sigmundo, pariter ut antea familiarem exhibuit, qui nihilominus in aula ad primam usque æstatem moratus, discedens amicè dimissus, patriam, Regem non ultra visurus repetivit, domique in insula Skufeya remansit.

CAP. XXVII.

De mutatione status Norvegici, & Sigmundi professione ad Comites.

Ejusdem anni autumno Olafus Tryggvinus in Vindlandiam seu Vandaliam, apparatu in Norvegia ad eum usque diem, neque Vandalia, unquam viso, expeditionem fecit. Ubi in reditu, dolo affinis sui Sigvaldi Comitis, maxima parte classis in patriam præmissa, cum paucis navibus, in insidias ductus, trium potentissimorum principum classibus Sveni admorsæ barbæ Daniæ, Olafi Sveci, Sveciæ, Regum & Co-

Comitis Eirici Haconis Hladensis filii oppugnatus turpissime proditur. Qvo devicto, Norvegia inter victores divisa, Eirico & Sveno partim proprio partim præfecturæ jure, universa tamen iis paruit. Qvi postliminio restituti, ut primum patriam regere cœperunt, Sigmundum Bresterinum, veterem amicum, per internuncios arcersebant, qui libenter mandatis eorum parens, Hladas, ubi illi, neglecta Nidarosia, residebant, ad eos profectus, summa cum benevolentia exceptus, pristinæ apud eos amicitiæ gradum tenuit, patriæque suæ universæ solus præfici meruit. Eodem autumno magna cum gratia remissus, qui anni MI. fuisse videtur, neque enim anni præcedentis extrema parte patria evocari, nec tempus ultra primæ occasionis terminum, qui primo sequentis anni vere, id est MI. per intermeantes naves se exhibebat, vocatu præsertim tam faventium principum differri potuisse videtur.

Cap.

CAP. XXVIII.

De Thrandi nepotibus & ejus postulatis.

Eodem tempore apud Thrandum nepotes ejus Sigurdus & Thordus Lagius seu parvus, fratris ejus Thorlaci filii, sororis quoque filius Gautus Rufus, Leifus etiam Auffurus filius, jam longo tempore enutriti manebant, omnes ætate fere pares. Inter eos Sigurdus robore, agilitate, exercitiorumque varietate, dexteritateque eminebat, Sigmundo tantum Bresterino inferior, vir staturâ magnâ, capillo luteo cincinnis distincto; Thordus quoque staturâ, roboreq; corporis, illo licet inferior, insignis tamen habebatur, singulos corporis decora commendabant. Hoc tractu temporum in Straumseyæ publicis insulanorum comitiis, Thrandus a Sigmundo expostulavit, ut Leifo Auffuris filio, de paterna cæde satisfaceret: is autem statutum se judicio Haconis Comitis, quo universa eorum controversia decisa fuisset, profitebatur. E contrario Thrandus

dus arbitrio optimatum patriæ committendam contendebat, quod cum denuo Sigmundus abnuisset, Thrandus respondit: haud immerito virum durum intractabilemque cognati mei, apud me educti te judicant, imperio enim universas insulas complecteris, quarum tamen partem plusquam dimidiam suum patrimonium agnoscunt. Equidem multis me injuriis affecisti, opprobriis onerasti, adque indecora multa, meque indigna adegisti, quorum omnium gravissime fero, quod me ad defectionem a patriis ritibus, religioneque compulisti; certus itaque esto, cum tam tristi duraque conditione, nos haud diu acquieturos. Sigmundus autem se ob minas illius secure dormiturum respondit.

CAP. XXIX.

De Christianæ religionis contemptu in domo Thrandi, cultu in Sigmundi, ejusque familiæ liberis.

Fluctuabat tunc temporis, ut ubique alias,

às, in provinciis imperiô Comitum subjectis Christianæ religionis status, singulis sacra pro arbitrio suo colentibus, licet ipsi Comites, eam fideliter colerent: Sigmundus etiam cum familia sua sincere & piè vixit; Thrandi autem domus cum sociis sibi devinctis, eam propemodum abdicavit. Liberi Sigmundi e Turide uxore procreati hi recensentur: Thora natu maxima in monte Dofrensi in lucem edita, mulier a juventute sagax prudensque & consiliis efficax, licet non usque adeo formosa: filiorum natu maximus Thoralfus, Secundus Steingrimus, tertius Brandus, minimus Herius, omnes bonæ spei adolescentes.

CAP. XXX.

De insultibus Thrandi in Sigmundum in ludibrium versis.

Æstate proxima Sigmundus Thorere & Einare de Sudureya comitatus, insulam Dimonem minorem, ad oves, quas mactare destinabat, domum deferen-

rendas naviculâ profectus, dum ibi morarentur, homines numero duodecim, clypeis armisque repercusso solis lumine fulgentibus instructos, in insulam delatos animadvertit. Sigmundo quinam essent dubitanti, Gautubarbos Thrandum scilicet cum nepotibus, alumnisque reliquis se agnoscere Thorer respondit, simulque quid facto opus esset, quæsivit? rem expeditu facilem ait Sigmundus, jussitque, ut primo armati omnes iis obviam irent, si autem ab iis impeterentur, singuli cursu in diversa tenderent, coirent autem in locum unum, ubi exscensus in Insulam facilis communisque esset. Thorlaci filii Leifusque, quartus etiam, cujus nomen reticetur, ad impetendum Sigmundum ordinati, cum, sicut mandatum, aggredi orsi essent, celeri cursu dilapsum, apprehendere nequibant, Ad locum ascensum præbentem, primus cum pervenisset, virum qui eum obsidebat, occidit, ascensuque hostes prohibuit. Interea Thorer Einarque ad hostium naves properantes, e duobus viris quorum alter vinculum navis tenebat, alter eam tutabatur

batur, deprehenſis, alterum Thorer occidit. Sigmundus ſenſim fugam ſimulans, in littus delatus, hoſtium uno interfecto, eum qui navem cuſtodieabat, iu undas deturbavit, atque ita utramque navem incolumis, inde absque ullo ſuo, ſuorumve damno domum reduxit: illi navigio deſtituti, pyras in inſula incendebant, quô ſigno moniti inſulani, eos prius inde deduxerunt, quam Sigmundus colligere poſſet, quot ad eos capiendos requirebantur. Paulo poſt, eadem tamen æſtate dum Sigmundus Thorere Einareque, ut conſuevit, comitatus, naviculâ ad colligendos canones, ex agris ſuis pendi ſolitos; inter inſulas vectus, anguſtum fretum intermearet, jnciderunt in Thrandum, undecim, ut ſolebat, comitibus ſuccinctum, navigium in ſe dirigentem Qvô conſpectô Thorer nimium eos appropinquaſſe queſtus, conſilium Sigmundi requiſivit; qui confeſtim mandavit, ut celeri curſu eos recta peterent, cumque vèlum demitterent, funes omnes, qui malum ſtabilirent, gladiis ſubito rumperent, ſe interea haud otioſum futurum.

Hæc

Hæc dum agerentur, Sigmundus contum in navem, tanto impetu impulit, ut subito carinâ sursum versâ everteretur, & quinque ex iis undis confestim absorberentur: omnes simul occidi; Thoreri svadenti Sigmundus auscultari noluit, dictitans malle se eos contumeliis afficere. Sigurdus Thorlacius, nave restituta; cum reliquos conservasset; fortunam graviter incusabat, quæ absque intermissione Sigmundi se contumeliis ludibrioque semper subjiceret. Thrandus autem navi receptus, mutatam jam utriusque fortunam vaticinatus est: desipuisse quippe Sigmundum; qui datam occasionem omnium perimendorum neglexisset; se vero illam ad se transeuntem, ambabus manibus retenturũ, nec cessaturum, priusquã eum occidissent; nota Thrandi solertia & rara animi sagacitas singulos in spem meliorum erexit.

CAP. XXXI.

De cæde Sigmundi.

PRæcipite autumno, Thrandus sexaginta hominum comitatu; & in his

Sigurdo & Thordo Parvo Thorlaciis, Gauto insuper Ruffo & Leifo Aussuris filio, Steingrimo de Austureya & Eldiarno Kambhautto (Biarnius autem de Svineya, post compositionem cum Sigmundo factam, neutri partium se adjunxit) duabus navibus in Skufeyam transmisit, commilitones solatus somniasse se, Sigmundo hunc insultum ultimum futurum. Eo cum perventum esset; subductis navibus, ad decliviora insulæ, quo ascensus patebat, se conferunt. Hic iterum Codex Flateyensis Skufeyam describit, quòd decem saltem defensoribus, quantumlibet magno oppugnantium numero, insuperabilis sit. Primus Kambhauttus ascendere conatus, in excubitorem incidit, certamineque inito, ambo per prærupta devoluti, mutuo casu occubuerunt. Exinde Thrandus cum agmine reliquo annixus domum universam cinxit; improvisisque omnibus effractis januis singuli irruperunt. Sigmundus cum suis domesticis omnibus arma capiebat; quos inter uxor Thuridis viro dignam pugnam edebat. Thrandus ignem succendi jubet, ferrô flammâque domum

simul

ſimul oppugnaturus, acriterque & magno impetu eos adortus eſt. Poſt haud modicam dimicationem Thuridis ad fores accedens, quantiſper inquit Thrande, adverſus familiam capite caſſam dimicabis? Thrandus vera videri, quæ afferret; reſpondit, Sigmundumque procul dubio elapſum eſſe; domum itaque ſibilando ſiniſtrorſus circumibat, donec ad occultæ cryptæ parum a domo diſtans oſtium perveniret, inde manu terram verrere, naribusque alternatim admovere viſus; veſtigia eorum, caninum in morem, adorabatur; hàc inquiebat tres illi incedebant; Sigmundus Thorer & Einar, ſuique contactum vetans, ſolus veſtigia eorum ex odore colligebat. Fiſſura profunda per inſulæ latitudinem; naturæ artificio ducitur; ad eam cum perveniſſet, hucusque, ajebat; veſtigia eorum legi, Sigmundum ſaltu penetraſſe exiſtimo; ubi verò reliqui lateant; neſcio; hic igitur copias dividamus; aliam ejus extremitatem Sigurdus Thorlacius & Leifus cum parte copiarum, ego aliam cum reliqua parte petam; ſuperatisque finibus, ad

 latus

latus ulterius iterum conveniamus. His ita dispositis, Thrandus altâ voce clamans, Sigmunde inquit, si tantus vir es, atque prædicaris, nec nimio metu præpeditus, ubi sis, fatere. Nox erat tenebræque prospectum omnem intercipiebant, nihilominus Sigmundus lacunam transiliens Steingrimi, qui & Thrandi vicinus, caput unico ictu ad humeros usque secuit, eodemque corporis situ saltu retrogrado iterum specum transiliit, qua, ut imperatum, ab utraque extremitate superatâ, Thrandus insequebatur. Ad rupem præruptam Sigmundus pervenit, subtus mare, in circuitu hostes, quorum voces mutuæque adhortationes, ab omni parte audiebantur. Cumque elabendi nulla amplius spes superesset, Thorer Sigmundum ad defensionem hortabatur, Sigmundus dum fissuram transiliret, gladium amisisse questus, imparem se defensioni respondit; præcipites e rupe desilire, in subjectum mare oportere, natatuque, quò fortuna duceret, contendere, id etiam cæteri probarunt: ut autem Thrandus sonum se præcipitantium audivit, scaphas undique com-

comparari jussit, persequendos enim ad internecionem, terra marique dictitabat, nec segnius quàm suasit execut⁹, eos tamen assequi nequibat. Interea Sigmundus cum sociis Thorere & Einare ad Sudureyam proximam longo milliari Skufeya distantem tendebant: (atqui ex Magistri Debes Færeyæ referatæ præfixa mappa patet, Skufeyam tantum semimilliari a Sudureya diremptam, occidentalem præsertim partem, e quâ Sigmundum natasse oportet, alias enim Dimon major propior fuisset.) Mediam viam emensi sunt, cum Einar, hic disjungemur, inquit, Sigmundus id futurum negans, humeris eum sustinebat. Post pusillum tempus Thorer quamdiu mortuum hominem humeris laturus esset, quærit, quô cognito eum abjecit. Qvadrans restabat, cum Thorer, mutuo amore se hucusque invicem complexos, nec unquam disjunctos memorabat, jam verò morte sua separari, neque enim ulterius eniti posse, oravitque, ut sibi tantum consuleret, nec ulterius se juvando fatigaret, secum enim vitam suam impensurum. Abnuit Sigmundus, aut enim ambos aut

neutrum evaſurum aſſeverans, humerisque eum ſubibat, erat autem Thorer adeò feſſus, ut prope nihil ſibi prodeſſe poſſet. Ad Sudureyam cum perventum eſſet, æſtus in littore ferventes, huc illuc vel impellentes vel repellentes excipiebant adeò fatigatum, ut ultra obniti nequiret, quorum impetu Thorer delapſus gurgitibus abſorbebatur. Levatus hoc onere Sigmundus littus obtinuit, tanto virium defectu, ut ambulare nequiret, itaque inter muſcum marinum, quo ſerpendo primo diluculo pervenerat, ad claram uſque lucem jacuit. Diſtabat inde villa exigua Sandvicha dicta, qvam Thrandus quidem poſſidebat, incoluit autem vir nomine Thorgrimus, cognomento Malus, ſtaturâ viribusque magnus; cui filii duo Ormſteinus & Thorſteinus ejuſdem furfuris. Hic eodem tempore ſecurim tenens ad littus cum exſpatiaretur, rubrum pannum ex algis eminentem animadvertit, quibus remotis, cum virum cognoſceret, quinam eſſet, interrogat, Sigmundus nomen & quæ geſta eſſent, enarrat, auxiliumque ejus implorat. Qvi ad filios converſus, tantum

tum jam lucrum unico momento, ſine omni periculo capi poſſe, monet, quantum univerſa eorum ſubſtantia non æquet; annulum enim ingentis pretii eum gerere, neque unquam hujus facinoris notitiam, ad alios perventuram, ſecure itaque perempturos. Filii atrocitate ſceleris territi primò obſiſtebant, tandem perſuaſi, in crines Sigmundi involârunt, patre interea ſecure caput amputante; nudatum deinde veſtibus annuloque, ad ripam quandam in pulvere eum Thorerumque condunt. Talem exitum vir ſummus, prævíſum antea à Rege ſagaciſſimo, habuit, qui licet patriam ab ethniciſmo ad verum Dei cultum traduxiſſet, ipſeque Chriſtianam religionem, piè devoteque coluiſſet, monumentum tamen ſuperſtitionis priſtinæ prorſus contemnere & abjicere, monente Rege, debuiſſet: majori etiam cura patriam, in recepto ſimul Divino cultu confirmare, nec permittere, ut illa ex parte, vel vitæ ſuæ periculo, inde quiſquam impune deſciſceret. Laudatus Debes nullam villam in Sudureya Sandvicham dici tradit, Sigmundum au-

tem binis plus minus milliaribus e Skufeya ad Porchyram Sudureyæ villam natasse, vulgo apud Færeyenses adhuc referri, Thorgrimumque illū adhuc Thorerē Hundū seu canem ab indigenis vocari, quod cum pretiū auxilii annulum sive rectius armillam poposcisset, nec impetrasset, dentibus jugulum ejus hauserit, armis quippe destitutus, atque ideo Thoreris canis nomen sortitus. Verum Thoreris Canis, qui post viginti novem annos Divum Olafum occidit, id temporis in Færeyis ignotum nomen, aut si notum, minime tamen probrosum suspicor, cum autem is ob Regi vel etiam Divicidium detestabilis factus esset, applicatum id fuisse videtur huic viro, qui tanto scelere se contaminavit. Villa autem Sandvicha cum exigua fuerit, postea demolita, prædioque majori agellus subjectus videri poterit. Annus quo Sigmundus peremptus est, secundus a millesimo, ob allatas ante rationes, fuisse videtur, ætatis XXXVItus.

Cap.

CAP. XXXII.

De ſtatu domus Sigmundi poſt ejus obitum.

Thrandus cum fruſtra Sigmundum diutius qvæſiviſſet, domum cum comitatu repetivit. Domus autem in Skufeya poſt egreſſum ejus ab incendio maximam partem liberabatur, ibique Thuridis, quæ poſtea honoris gratia nobilis viduæ cognomen ſola, quoad vixit, reportavit, a morte mariti habitabat. Apudque eam filii adoleverunt, neque Principum Norvegorum, quod ætate minores eſſent, auxilia implorarunt. Interea Thrandus & Leifus Auſſuris filius, inſulis omnibus ex æquis partibus imperio ſuo ſubjectis, Thuridi & filiis ejus ſatisfactionem de paterna cæde obtulerunt, quam prorſus abnuebant.

Cap.

CAP. XXXIII.

De Thrando nuptias filiæ Sigmundi nutricio ſuo Leifo paciſciſente.

INterjecto paucorum annorum ſpatio, cum omnis inſulanorum ſtatus, ſopitis factionibus, tranquillus aliquantiſper ſtetiſſet, Thrandus Leifo ſuaſit, ut Thoram Sigmundi filiam uxorem peteret; quod utpote obtentu haud facile cum expetere dubitaret, Thrandus ni ambiret neque impetraturum reſpondit. Hac adhortatione perſuaſus, ductore Thrando, in Skúfeyam proficiſcitur, neuter tamen hoſpitaliter exceptus eſt. Ibi Thrandus ſatisfactionem iterum pro cæde Sigmundi, ſecundum ſummorum in patria virorum arbitrium obtulit, adque fidei dandæ accipiendæque ſtabilimentum, Thoram Leifo matrimonio jungi petebat, promittens aucturum ſe eum opibus haud modicis. Omnibꝰ abnuentibus ipſa virgo his verbis reſpondit: non dubito vos me viri appetentem judicaturos, me quod attinet, his con-

conditionibus ei nubam, si fratres materque & propinqui reliqui consenserint, Leifusque juramento se purgaverit, quòd patri meo, nec ipse nec per alios necem intulerit: quo præstito, explorabit, quo mortis genere abreptus sit, & si quis occiderit, ejus rei nos omnino certiores reddet; his peractis, nuptias cum voluerit celebrabit. Omnibus virginis responsum prudens visum, itaque in has conditiones ultro citroque descensum est.

CAP. XXXIV.

De magia Thrandi in inqvirendo percussore Sigmundi.

Exiguo tempore interjecto, Thrandus cum Leifo decem comitibus assumptis, lembo in Sudureyam vectus in Sandvicham ad Thorgrimum Malum, inclinante die, pervenit. Reliquis in alia domo ad focum relictis, Thrandus ab eo in triclinium deducitur, dumque inter se colloquerentur, injecit Thrandus quæstionem de

de Sigmundo, quoque fato abſumptum homines judicarent, ſciſcitabatur? Thorgrimus varias de eo opiniones adduci, alios enim ſtatuere, aut natantes, aut littori appulſos à Thrando occiſos. Siniſtra prorſus opinio, ſubjecit Thrandus, quam nullus modò mihi amicus imputaverit, omnibus enim conſtat, perſecutum me Sigmundum, occiſurum etiam, cur autem cædem ejus occultasſem? Tum Thorgrimus, ſunt, qui natando feſſos, fluctibus abſorptos credunt: etiam, qui Sigmundum, quod ſingulari robore, nandique peritiâ eſſet, ad littus adnixum exiſtimant, feſſum autem a ſicario quodam interfectnm. Illud verò ait Thrandus longe plauſibilius, ego etiam in hac eadem opinione ſum, verum ſodes, tu ne ille es, qui hoc feciſti? Thorgrimò ſevere negante, non eſt quòd neges ait, ita enim ſe res habet. Perſeverantem negare unà cum filiis in vincula conjici jubet, arcteque conſtringi, Quo peracto culinam ingreſſus, focum ſuccendi, largoque nutrimento ali mandavit, quem quatuor cla-

thris

thris quadratis, novemque loculis diſtinctis ſepſit, ipſe ſellæ inter focum clathraque inſidebat, vetans ullum ſe alloqui. Cum ibi aliquantiſper ſediſſet, vir qvidam, aquâ totus madidus, ingreſſus culinam focum acceſſit, manusque extendit, deinde egreſſus eſt. Einarem Sudureyenſem omnes agnoverunt. Paulo poſt alter pari modo accedens, cum manus foco impoſuiſſet, iterum exiit, ibi Thorer agnitus eſt: mox tertius magnâ ſtaturâ vir ingreſſus, ſangvinolentus, caputque manu tenens, aliquantiſper in pavimento conſtitit, deinde exiit. Sigmundum is repræſentabat. Exinde Thrandus, altum ſuſpirans ſurrexit. Hic jam ait videtis, quo genere mortis ſinguli perierint, primus Einar quippe viribus minimus, vel hauſtu undarum, vel frigore mortuus eſt; deinde Thorer, quem Sigmundus forte tergo ſuſtinendo, maximè laſſatus, littori tamen redditus, ab his hominibus procul dubio, peremptus eſt: illud enim ſangvis caputque abſciſſum indicant. Omnes Thrandum rectè hæc conjeciſſe judicabant, ſingulas itaque domus partes, diligenter eos

ſcru-

ſcrutari jubet, verum nihil inventum eſt, quod ad indicandam cædem ab iis commiſſam faceret: Thorgrimus etiam cum filiis in cœpta negatione perſtitit, crimen quovis modo a ſe amovere, Thrando repugnante, ſatagens. Ulterius itaque inquiſitum: arca ibi trita capaxque, qua, quod alicujus momenti eſſet, nihil reſervari videbatur. Eam aperiri, effringique Thrandus juſſit, vilia ibi lintea, nullius pretii deprehenſa. Diu cum eam fruſtra examinaſſent, Thrandus omnia in pavimentum ejici juſſit. Inter cætera faſciculus vilis admodum inventus, quem cum evolviſſet, multis pannis involutum annulum Sigmundi invenerunt. Quo indicio, cum ſe proditum Thorgrimus agnovit, rem omnem ordine, ut hic deſcriptus eſt, expoſuit, locumque ubi Sigmundus Thorerque conditi erant. Secundum hanc confeſſionem Thrandus Thorshafniæ populoſiſſimum conventum inſtituit, ibi in ſumma populi frequentia Thorgrimus cum filiis flagitium tantum confeſſi, patibulis ſuffigebantur. Deinde Thrandus Leifuſque ſpecioſis conditionibus, cum

Thu-

Thuride, liberisque Sigmundi conciliati, nuptialem festivitatem celebrabant. Leifus in patrimoniali prædio Hof in Sudureya, Thoralfus Sigmundi filius, in insula Dimone sedem fixit, vir inter populares suos, in patria celebris; atque ita Fæxeyæ, a turbis aliquantisper quieverunt.

CAP. XXXV.

De Færeyensibus & Islandis a Rege Norvegiæ sancto Olafo evocatis ejusqve artibus.

Nono imperii Sancti Olafi anno evocati e Færeyis, supremi tribunalis judex Gillius Leifus Austuris filius, Thoralfus de Dimone, cum multis aliis nobiliorum civium filiis eum accesserunt, solus Thrandus, jam paratis, quæ ad commeatum requirebantur, cum primum profecturus esset, in gravem morbum incidit, quô impeditus domi remansit. Ut verò Færeyenses ad Regem pervenerunt, habito con-

conventu, tributa ſibi ex inſulis annua pendi, ſuasque leges incolas accipere, ſingula ſacramento confirmari mandavit; præcipuos eorum in ſatellitum ſuorum numerum ſe aſciturum honoribusque ornaturum pollicitus. Illi re inopina territi, tempus ad deliberandum poſtulant, metuentes autem, ne quid gravius in ſe ſtatueret, ſi ſubjectionem abnuerent: poſt habitos in eam rem aliquot conventus cuncta conſenſu ſuo approbarunt. Gillius Leiſus & Thoralfus ſatellites purpurati creati mox in cenſum legesque omnes jurarunt; ſub diſceſſum, qui in ſatellitum numerum inſcripti erant, donis honorati patriam deinde repetebant. Miſſa & a Rege navis, cum exactoribus ad cenſum inde deportandum, quæ longo ibi tempore morata, cum ſerò inde navigaret, in Norvegiam nunquam rediit, neque æſtate ſequente, cenſus perſolutus, nemine è Norvegia repetente, cum navis altera in id miſſa eò non perveniret. Eodem anno Rex Thorarinem Nefiolfi filium in patriam ſuam Islandiam ablegaverat, qui Regem Thrandheimo in Mæriam comitatus, inde

de in Islandiam rara ventorum indulgentia pervenit, profectusque in forum insulæ universale, quod XXIX junii quotannis celebratur, legationem publice exposuit, prolixum benevolentiæ Regiæ in gentem illam affectum, apta præfatione celebrans: petebat autem insulam unam, aquilonari continentis lateri adjacentem sibi donari, nomine Grimseyam, illis vicissim, e suæ regionis fructibus, quod postularent, se concessurum pollicitus. Id cum facile concessuri omnes viderentur, procerum unus Einar a prædio Thvera, quod incoluit, Thveraensis dictus, consilia Regis occultasque technas altius rimatus obstitit, monens agitari hoc postulato imperium in eos, cum insula ista tantis copiis alendis capax esset, ut pacem facile navalibus excursionibus publicam continuo turbare, tædioque calamitatum, quæ ex belli injuriis oriri solent, affectos vicinos ad deditionem compellere possit. Mox Principes remotiores, in factiones divisos, unum post alterum blanditiis, muneribus, promissis vel minis, & terrore injectô, in partes suas trahere, alios aperta

vi oppugnare, ſingulos denique inter ſe tantiſper committere, donec univerſorum cervicibus, quorum libertati ex inſula illa tanquam ſpecula quadam inſidiari Rex cœpiſſet, ſervitutis jugum impoſuerit, non ſuo quiden ſeculo terminandum, ſed ad poſteros in æternum perennaturum. Si igitur receptæ a principio gentis libertatis, inque id usque tempus feliciter conſervatæ curam gererent, inſulæ poſſeſſione nequaquam cedendum, ſed nec tanta munera Regi mittenda, que ſpeciem tributi & obſequii præberent, reliqua autem ad amicitiam favoremque conciliandum placere mitti, ut equos & falcones, vela etiam & tentoria, & id genus alia, quæ ſi gratiam mererentur, bene collocata videantur. Hæc cum ſingulorum ſuffragio probarentur, legatus poſtero die forum ingreſſus, præmiſſa ſalute regia ſignificavit Regem procerum præcipuos ad ſe invitare, honores & munera amicitiamque regiam hac profectione merituros. Illi actis decenter gratiis, reſponſum ſe ei daturos pollicebantur, cum hac de re conſultaſſent, aliis oblatam Regis grati-

am

am plenis ulnis accipiendam, eique morigerandum ſvadentibus, qui ſaniores erant, negabant, vel ſuam privatam, vel patriæ publicam ſalutem, & emolumentum Norvegis concredendum: ſi enim proceres, penes quos imperium patriæ eſſet, in poteſtate Rex haberet; facile iis qvicquid vellet expreſſurum. Cum autem ſententiis inter ſe diſſiderent, ne gratiam regiam aſpernari viderentur, convenit, ut anno ſeqvente ſinguli, qui invitabantur, filios ſuos aut propinquos ad eum mitterent. Id cum feciſſent, eos tanquam obſides detinuit, idemque quod a Færeyenſibus ab iis poſtulavit, proceribus autem priv tam filiorum jacturam publico patriæ damno præferentibus; durius fidem ſuam ſecutos legatos eorum tractavit. Verum diverſa horum poſtulatorum ratio videtur, ad Færeyas ad obſequium Regũ Norvegorũ reducendas, cum iis antea paruerint, jus habuit; cujus indigenæ ignari non fuerunt; itaque ſi id abnuere in animo erat, ſibi proſpicere debuerunt, ne vi extorqueri poſſet. Iſlandiam autem nullo jure Norvegis obnoxiam his dolis aggredi, infra

ſanctitatem tanti Regis fuit, id quod etiam ad poſteros, non modò ſanctitatis ſed & integritatis ejus opinionem dempſit, ut ex Arngrimi Crymogeæ lib. III. apparet. Ad Færeyas redeo.

CAP. XXXVI.

De aſtu Thrandi, nepotumqve ejús ſceleribus, cæde Thoralfi, & ludificato Sancto Olafo.

Eodem vere navis e Norvegia mercatoria mandatum Regis retulit, quo unus e ſatellitibus regiis, ſive Gillius ſupremus judex, ſive Leifus Auſſuris filius, ſive Thoralfus de Dimone, ad eum evocabantur. Conſulentes quo fine id fieret, concluſerunt, inquiſiturum Regem, quid factum eſſet de duabus illis navibus, quæ ad cenſum deferendum miſſæ erant, e quibus nemo ſalvus evaſerit: imputatum quippe inſulanis, quòd omnes vectores ſuſtulerint. Placuit, ut Thoralfus proficiſceretur; decem aut duodecim claſſiariis comparatis, iter adornavit. Omnibus

bus paratis, dum ventos faventes expectaret, contigit, ut die quodam sereno Thrandus triclinium ingressus, alumnos suos, Sigurdum & Thordum Thorlaci fratris ejus filios, in scamno recumbentes, acrius his verbis objurgaret: ætas inquit, hominum multa immutat, me quidem juvene, indecorum visum viros alacres per amœnos dies dormire, domique recumbere, neque ullus existimâsset, Thoralsum de Dimone vobis alacritate præferendum, certè lembus meus intra navalia; quantumvis pice illitus, putrescere videtur, tanquam nullius usus, cum tamen singulæ domus lanâ plenæ sint, quas avehi, quàm domi putrescere, præstat. Qvod si ætas hæc, ut ante paucos annos vivida virium integritate me non orbasset, meis rebus aliter providerem. His irritatus Sigurdus subito exiliens, Thordum Gautumque inclamavit, objurgationes Thrandi non ultra se passurum vociferans, accitis domesticis, lembum in littus propulit, paucisque diebus mercibus impositis oneravit. Decem aut duodecim nautis instructi, simul cum

Thoralfo ex insulis solventes, eodem usi vento semper inter navigandum se invicem cognoverunt. Ad Hernam vespere quodam delati, non longe ab invicem distabant; Sigurdo navem non in portu, sed ante apertum littus, ad anchoras ligante. Contigit autem, dum appetente crepusculo cubitum ituri, quæ requirebantur, appararent, ut Thoralfus uno suorum comitatus terram conscenderet, verum inter redeundum comes ejus panno capiti repente injecto sublevatus, eodem momento fragorem audivit, mox longius avectus præcepsque datus in subjectum mare decidit, qui ut littori adnavit, ad locum ubi Thoralfum reliquit properans, capite eum ad humeros usque dissecto, exanimem invenit. Mox nautæ corpus ejus ad navem delatum, per noctem custodiunt; cumque Rex Olafus in insula Lygra non procul abesset, missi, qui hæc ad eum deferrent: frequens deinde conventus, indicio teli, ut moris erat, per singula rura circumlati, indictus est, quo usque navis vectores omnes inter cæteros evocabantur, qui & comparebant.

Lege, quâ ſecuritati fori cautum eſt ut conſuevit, promulgatâ, exſurgens Rex in hunc modum locutus eſt. Horrendum nefas hic patratum apparet, cujus exempla, quo pauciora, hoc magis Deo gratiæ agendæ: vir bonus ſceleſta ſicariorum manu oppreſſus, & ut ſpero innocens, fœdum omnibus ſpectaculum præbet, ſi quis tanti ſceleris authorem noverit, actutum ut indicet edico, nemine profitente, ſuſpicionem ait meam detegam. Ipſis Færeyenſibus hoc imputo, & cædem quidem Sigurdo Thorlacio, fratri autem Thordo Lagio ſeu Brevi; quòd comitem ejus per præcipitia in undas dejecerit, utrumq; eo fine, ne ſcelera eorum cædesque meorum civium ad ſe miſſorum, qui ibi ut dudum ſuſpicabar ſublati ſunt, proderet, cum ſcirent eum hæc minime latere, cum Rex dixiſſet, Sigurdus exſurgens reſpondit. Equidem in publico foro, ad hoc usque tempus verba nunquam habui, ideoque minime mirandum, ſi ea me deficiant, cum tamen præſens neceſſitas, ut aliquid dicam, exprimat, quid de accuſatione Regis ſentiam, paucis enarrabo. E-

am enim ab aliorum, & quidem a virtutibus illius & sapientia alienorum, stultorum quippe & malevolorum instinctu emanasse credo, qui hostilia in nos machinari conantur, cum enim turpissimum scelus, mihi intentant, speciem tamen veri adducere nesciunt, qui enim hominem mihi amicissimum, fratremque adoptivum occiderem ? si tamen id ob graves aliquas caussas destinassem, adeo ne stultus essem, ut hic in imperio & potestate tua Rex, Te etiam tantum non præsente, ubi vindictæ effugiendæ nulla via, quam domi, ubi amicorum præsidium auxiliumque abundat, illud perpetrare mallem. Sed quid verbis opus, juramento secundum legum vestrarum præscriptum, me meosque nautas omnes purgabo; id si parum videbitur, igniti ferri testimonio innocentiam meam probabo, Te vero Rex præsentem, judicemque posco. Multi oratione ejus simul & alacritate viri moti, insontem videri perhibentes Regem orarunt, ut tam justis precibus mites aures præberet. Ad hæc Rex, hujus viri ingenium duo extrema pol-

polliceri videtur, aut virum optimum, ſi facti tam atrocis falſo inſimulatur, aut ſupra exemplum audacem, id quod etiam animus præſagit. Qvicquid horum eſt, ipſe profecto ſibi teſtimonium perhibebit, in gratiam autem deprecantium Rex ſponſionem ejus ad candentis ferri purgationem admiſit, conſtitutumque ut poſtridie in Lygra compareret, Epiſcopi qui ſimul evocabatur examini ſiſtendus; atque hoc modo conventu ſoluto, ſinguli dimiſſi ſunt. Rex ad Lygram, Sigurdus cum ſuis ad navem rediit. Tenebris deinde incumbentibus, ventoque ad diſceſſum commode ſpirante, nautis exponit, quam atroci injuria fuerint affecti in terra peregrina: ſe quidem Regem iſtum fraudis dolique plenum perſpicere, utpote, qui cum Thoralfum ipſe occidere curaverit, culpam in ipſos transferre non dubitaverit, facile ei candentis ferri teſtimonium pervertere, cumque omnes illos neci deſtinaret, inſanum eſſe poteſtati ejus ſe ultra permittere; itaque cum aura ad votum ſpiret, liceatque eum effugere, ſapienter facturos, ſi oportunita-

tem illam non omittant, suadere itaque ut sublatis velis patriam repetant, permissurum Thrando, anno proximo peregre ad nundinas laneas instituendas proficisci, si enim hoc tempore evaderent, nunquam se deinceps in Norvegiam rediturum. Cum omnibus consilium placeret, usi venti oportunitate, in altum quantum poterant, eadem nocte contenderunt, transmissoque oceano delati in Gatam, a Thrando majorem in modum objurgantur;quod licet iniquo animo se ferre, verbis etiam asperioribus in eum conjectis præ se ferrent, tamen apud eum ut antea manebant. Ut vero Rex discessum eorum cognovit, licet verbis parceret, tamen conceptam de iis suspicionem, hoc dolo satis confirmatam, tum ille tum etiam illi, qui caussam eorum maxime propugnabant, judicabant.

CAP. XXXVII.

De legatione Karlis Mærensis ejusque cæde.

REX ad conventus juridicos habendos, causs-

caussas cognoscendas, lites dirimendas, publicumque statum inspiciendum provinciam deinde circuibat, donec postero vere Nidarosia cum copiis Thrandheimo & septemtrionalibus provinciis excitis, in Nordmæriam profectus est, ibique pluribus adjectis, Raumsdalum, inde in Sunnmæriam movit. Diu in Hereyis copias exspectabat, ubi conventibus sæpius habitis, multa quæ emendationem reqnirebant cognovit, uno horum jacturam eorum, quos in Færeyas, ad reditus requirendos miserat questus, alios ad idem negotium expediendum se missurum asseverabat, quod promissa tributa non penderentur. Hanc itaque legationem diversis mandavit; quam cum certo vitæ periculo, aut non incerta morte conjunctam, omnes tot exemplis moniti perspicerent, pro se quisque eam deprecabatur. Inter cæteros vir statura eximia, vultu alacritatem præferente rubram tunicam indutus, gladio amictus, cassidem gerens, tenens manu hastam longam, ictibus inferendis aptam, surrexit. Discrimen, inquit, hominum haud exi-

guum

guum hic apparet, inter bonum Regem & malos cives, qui muneribus ejus honorati, legationem unam, quam imperat, abnuunt: ego quidem hujus Regis amicus non fui, ille certe mihi inimicus, nec id ut videtur, fine caussa, nihilominus si huic negotio expediendo nemo aptior suppetit, me ad legationis periculum offeram. Rex quinam vir ille adeo strenuus esset, qui postulatis suis tam promptè annueret, quæsivit; nam & inquit, aliis multum distare videris, qui id ultro offers, quod ii de quibus bonam cæteroquin spem fovi recusant, te autem nunquam novi, vel nomen tuum, Illud tamen respondit ille Te fando inaudivisse non dubito, nec est difficile, sum enim Karl ille Mærschius seu Mærensis. Audivi quidem respondit Rex, nec diffiteor si nos in mutuum conspectum olim sors commisisset, te exitûm, non enarrasse. Jam vero fide a te superari nolo, cum non modo ultro potestati meæ te commiseris, sed etiam ministerium tuum obtuleris, id quod insuper gratia & humanitate rependam, mecum ergo hodie convivaberis, interea de legatione

tione diſſeremus. Fuerat Karl pirata & prædo famoſiſſimus, ad quem comprehendendum Rex ſæpius emiſſarios ablegaverat, qui ipſum occiderent, verum fruſtra: cum enim eſſet vir ſtrenuus, nobilique familia ortus, propinquorumque præſidio tutus, ſemper Regis perſecutionem declinavit, jam vero non impunitatem mòdo impetravit, inſuper in gratiam receptus etiam diligebatur. Cum igitur Rex comitatu (viginti ſimul erant) & commeatu optime inſtructum ablegavit, nuncio ad aulicos ſuos, Leifum Auſſuris filium, & Gillium cum mandatis miſſo, ut ejus negotium promoverent. Feliciter abſoluto itineris curſu, poſtquam in portum Straumseyæ Thorshafniam appuliſſet, comitia habuit, frequenti indigenarum confluxu. Ibi Thrandus magno comitatu, Leifus quoque & Gillius, haud minori frequentia comparuerunt. Fixis deinde pro more tentoriis, ad tabernam Karlis acceſſerunt, ſaluteque magna benevolentiæ ſignificatione ultro citroque data, Karl Regis Leifo Gillioque mandata expoſuit, & illi quidem ſe omni

mni studio caussam Regis promoturos polliciti, eum ad hospitium invitarunt; id quod ille grato animo accepit. Paulo post Thrandus accedens, magna gratulatione eum excepit, gratum sibi præfatus, tantum virum patriæ suæ, a Rege eorum, cui omnes obediri teneantur, missum obtigisse, utque ad se cum universo comitatu, per hyemem divertere dignaretur, majorem in modum petivit, se enim nihil, quod ad honorandum ornandumque eum faceret, omissurum. Ille se grato animo benevolentiam ejus agniturum, accepturum etiam hospitium respondit, ni Leifus ipsum prævenisset, cui id proinde renunciare nequiret. Ergo, itaque ait Thrand⁹, Leifo iste honor obveniet, quæsivit igitur, si quid alias ipsi gratificari posset. Si inquit Karl tributa per Austureyam, & omnes aquilonares insulas hac hyeme collegeris, rem mihi feceris gratissimam: id autem officiorum omnium minimum respondit Thrandus, quod in gratiam Regis impendere possit. Hoc responso in tentorium suum regressus est, nec eo conventu, plura contigerunt. Karl domum cum Leifo

Leifo profectus, ad eum per hyemem divertebat, qui ejus nomine, omnē regium censum, e Straumseyâ & insulis, quæ inde in austrum protenduntur, collegit. Proximo vere Thrandus ægrotare cœpit, ex oculis plurimum laborabat, licet alia quoque gravamina accederent, nihilominus in forum pro more, profectus tabernæ interiora nigris velis subducebat, ne oculis luminis claritas afficeret. Post paucos a foro celebrari cœpto dies, Leifus cum Karle ad tentorium Thrandi magna frequentia progressus, comperto eum intra tecta se tenere, Regio nomine evocari curat. Ille nuncium referre jussit, tanto se oculorum dolore teneri, ut nullo modo exire posset, petere ut Leifus se accederet. Qui protinus dolum suspicatus, ut sibi quisque sedulo caveret, unusque post alterum ordine intravit, qui primus ingrederetur postremus exiret, monuit: primoque ingressus, Karl proxime sequentem præcessit, singuli deinde ut præceptum erat, omnes integra armatura muniti, velut in prælium ituri succedebant, Leifus usque nigra velamina progressus,

quæ

quæſivit an Thrandus præſto eſſet, qui amice Leiſo ſalutato, iterum ab eo interrogatur, an regia tributa ex inſulis aquilonaribus conquiſiverit. Non dememiniſſe reſpondit, quod Karli fuerit pollicitus, habere præſentem crumenam, argenti ſignati plenam, quod ut ipſe inſpiceret petit. Leifus conjectis in circuitum oculis, paucis intra tabernam conſpectis, in ſcamnis quosdam recumbentes obſervavit, deinde accepta pecunia, ad exteriora proceſſit, quo clarius lucis indicio eam examinaret, quám in clypeum effuſam cum accuratius inſpexiſſet, Karlem quoque inſpicere juſſit, quo facto cum Leifi ſententiam exquireret, huc credo ait Leifus omnem monetam adulterinam ex aquilonaribus inſulis omnibus confluxiſſe. His auditis Thrandus Leifum interrogat, pecunia ne ſatis proba? improbam reſpondente, heus ſcelus, inquit, certè propinqui mei fraudis dolique nihil mediocre nobis pollicentur, cum eorum fidei nihil tuto concredi poſſit: eos enim hoc vere, per univerſas aquilonares inſulas, ad exigenda tributa miſi, cum ipſe

ipſe æger id expedire nequiverim, ſed illi muneribus ruſticorum expugnati, admisſa inutili pecunia fidem proſtituerunt, itaque inſpice argentum, quod titulo canonum ex agris meis accepi; traditoque alio marſupio., cum iſtam quoque pecuniam Leifus recognoverat, Karl qualis eſſet, quæſivit? ad diſſolvenda nomina inter privatos, certa ſpecie non definita ſuſtineri reſpondit, ad tributa autem Regia inhabilem. His auditis, quidam in ſcamno recumbens exerto e bardocucullo capite, probat inquit jam ſe proverbii illius veritas, quod unumquemqve qvanto ad ſenium procedat, tanto viliorem fore perhibet. Karlem enim Mærſchium æris tui valorem, toto die improbare, rejicereque permittis. Is erat Gautus Rufus. His accenſ⁹ Thrand⁹, in propinquos ſuos magna verborum atrocitate intonuit, quod fraudulenter creditum ſibi negotium peregisſent, redditoque Leifo alio marſupio, id quod prius tradidit repoſcebat: hoc inquit argentum, a colonis meis ipſe hoc vere accepi, quamvis enim morbus, me viſu pene privaverit, tamen propria cui-

 que

que manus commodiſſima. Mox alter in ſcamno recumbens, cubitu ſe ſuſtentans erexit; is erat Thordus Lagius ſeu Brevis. Haud, inquit, modiocres verborum contumelias Mærenſis ille Karl nobis cauſatur, mercede non indignus. Leifus cum hanc pecuniam inſpexiſſet, Karli oſtendens, non inquit æget hæc pecunia longo examine, cum unus nummus alterum bonitate ſuperet, tu modo Thrande libram, qua argentum appendamus prome. Ille Leifi ſe fidei id commiſſurum cum reſpondiſſet, exibant, nec procul a taberna conſidentes, appendebant. Karl detractæ capiti galeæ, nummos appenſos infudit; interim virum propius accedentem haſtam malleatam, manu tenentem, cucullum promiſſum gerentem, indutumque togâ breviori, colore viridi, nudis pedibus, linea femoralia pedibus alligantem conſpicati ſunt; qui haſtam campo inpingens, cum diſcederet, cave inquit Mærenſis Karl ab haſta mea periculum. Paulo poſt vir quidam propere accurrens, Leifum inclamavit, ut quam ci::iſſimè, ad judicis Gillii tabernam accelraret, Sigmundum enim

enim Thorlacium per inferiores tabernæ parietes irrupisse in ejus tentorium, ejusque comitum unum lethaliter sauciasse. Leifus cito exsurgens ad tentorium properavit, secutique eum suorum singuli, Karle cum Norvegis eum circumstantibus, interea remanente: mox Gautus Rufus accurrens, securi supra humeros circumstantium unius extensa, ictu eum levi in caput feriebat, quem Thordus arrepta, quæ campo impacta erat, hasta, malleo in securim fortitèr impulso, ita aggravabat, ut perterebrato cerebro sopiretur. Ilico ingens hominum multitudo e tentorio Thrandi, se proripuit, Karl autem exanimis elatus est. Magnopere Thrandus facinus execrari visus, nihilominus satisfactionem, pro cæde legati obtulit; verum Leifo & Gillio litem persequentibus, cum non admitteretur, singuli exilio damnati sunt, Sigurdus ob vulnus Gillii comiti inflictum, Thordus autem & Gautus ob cædem Karlis. Norvegi nave, qua vecti erant, summa cum festinatione expedita, domum reversi Regi singula exponebant. Verum imminens id

temporis a Knuto illo potente Daniæ Angliæque Rege, periculosum bellum vindictæ facultatem ei, deinde regnum, tandem quoque vitam ademit. Qvomodo Regi repetitio tributorum cesserit dictum est, jam immania Thorlaci filiorum, Gautique Rufi scelera, quæque lites cædesque inter eos & Leifum Aussuris filium secutæ sint, enarrabo, Codicis Flateyensis verbis, cum alibi nusquam, quod scio extent: unde ingens error Chronici Danici apparet, quod pag: 271. tradit Leifum in ultionem Karlis Thordum & Gautum occidisse.

CAP. XXXIIX.

De astu Thrandi in liberandis ab exilio nepotibus.

Secundum cædem Karlis, Thrandus propinquis suis ab insularum primatibus exilio mulctatis, navem magnitudinis, ad eos in finitimas regiones transportandos idoneæ suffecit, viaticique & commeatus parum, quod longe infra indigenti-

gentiam ſuam, patrimoniique ab eo detenti, ſortem ſibi debitam proclamantes, aſperis eum verbis inceſſerunt. Ille præter longam ſuſtentationem, multo plura, quam iis deberet, reportaſſe, nec ulla grati animi ſignificatione rependiſſe regesſit, atque ita male conciliati, ab invicem diſceſſerunt. Illi in altum evecti Islandiã petituri videbantur. Poſt exiguum tempus, ingens tempeſtas exorta, per integram hebdomadem incubuit, affectoque autumno, fragmina navis eorum in Auſtureyæ litore reperta ſunt. Omnibus conſtabat quam ægrè exulatum iſſent, itaque fatale illis malum, malorumque extremum, profectionem iſtam fuiſſe, certo ſibi incolæ imaginabantur. Acceſſit quod per hyemen larvæ, multos in Gata & paſſim per Auſtureyam infeſtabant; viſique crebro Thrandi propinqui, nunc hos, nunc illos inſectare, quorum alii vibicibus, alii fractis membris male affecti, mortis eorum certitudinem damno ſuo confirmabant. In Thrandum plurima terriculamentorum vis incubuit, adeo ut nusquam ſecurus, absque cuſtode, vel co-

mite, extra domus suæ limina, pedem efferre auderet. Sub exitum hyemis Leifum per nuncium monuit, ut ad certum locum convenirent. Qvò cum ventum esset, quantum periculum superiore æstate universæ reipublicæ imminuisset exposuit. Cum universi in publico foro congregati, armis se mutuo impetissent, interitum civitati partium dissidia propere allatura, si in tanto conventu, litibus dirimendis dicato, singulis arma gestare liceat: ad tantum malum avertendum legem ferendam, qua omnibus in publico cœtu, arma interdicerentur. Leifus consilium quidem salubre videri respondit, sed de quo supremus judex Gillius consulendus esset. Erat autem Leifii consobrinus. Perpensis igitur Thrandi præsentis postulatis, Gillius Leifum monuit periculosum, fidem ejus periclitari, in id se consensurum, ut præter satellites regios, & aliquot eorum comites, ne alii, aut promiscuum vulgus arma ferrent: hæc cum conclusissent, suam quisque domum redit. Exacta hyeme, cum ad forum solenne, insulani omnes convenissent, die quadam, solis

ſolis fulgore illuſtri, Gillius, & Leifus in collem quendam exſpatiati, ab orientali inſulæ parte, in obverſum promontorium, triginta viros, armis, clypeis, galeisque conſpicuos conſcendentes animadvertunt: haſtæ ibi & ſecures, præter aliam armaturam conſpectæ, univerſi optime inſtructi, ſtrenuorum militum ſpeciem præbebant. Hos præcedebat vir manu haſtam ad cædendum tenens, rubram tunicã indutus, quem clypeus bicolor, flavo cæruleoque diſtinctus protegebat, Sigurdum Thorlacium omnes agnoſcebant. Proxime ſequebatur alter vir, ſtaturâ procerâ, rubram tunicam geſtans, clypeumque rubrum, agnitus ibi Thordus Lagius. Succeſſit cum rubro clypeo, cui effigies humana impreſſa, magna ſecuri terribilis Gautus Rufus. Perculſi metu, his viſis, Leifus & Gillius ad tentoria ſua redibant. Sigurdo ſubito appropinquanti, Thrandus cum univerſo comitatu obviam proceſſit. Leifus & Gillius, præter quod Thrando comitantium numero impares eſſent, arma inſuper pleroſque deficerent, ſuperabantur. Eos hoc ſtatu accedens

cum ſuis Thrandus Leiſum, his verbis affatur. Adſunt hic alumne, propinqui mei proxima æſtate, hinc præpropere ejecti, jam vero Gillii, tuamque vim amplius pati nolumus, ni igitur meo arbitrio omnia commiſeritis, eorum cœpta non impediam. Videntes autem nullam iis vim in præſens opponi poſſe, judicio Thrandi ſe acquieturos ſpoſponderunt: nec ille ſententiam diſtulit. Pæna exilii propinquis meis, ait, remittetur, mulcta etiam pecuniaria univerſa, liberi in Færeyis, ubi volunt, ſecuri erunt, inſularum autem imperium, jam diu juris controverſi, certatique, invidiæ cædiumque irritamentum, trifariam dividetur, triens mihi, Leifo alter, Sigmundi filiis tertius cedet. Quo vero animi mei in te propenſionem alumne Leiſe cognoſcas, filium tuum Sigmundum, in tui gratiam educabo. Leiſus in matris poteſtate reſpondit, an apud illum, an domi educari velit, atque ita conventus finiebatur. Ut vero mater Thora oblatam a Thrando filii educationem cognovit, aſpernandam cenſuit, neque enim, dixit, filium illis

illis commodis fraudabor; insunt enim Thrando multa, quæ plerosque deficiunt, misit itaque filium, tunc triennem ad eum, optimæ spei puerum.

CAP. XXXIX.

De adulterio Sigmundi cum uxore Thoralfi, cæloque ab eo domino, interfectisque hospitibus.

Sveno Alfifæ filio, matris imperio Norvegiam regente, Thrandus in Gata residens, propinquos suos, Sigurdum, Thordum & Gautum Rufum, in familia sua, jam diu ad virilem ætatem provectos detinuit. Uxorem nunquam duxisse, filiam tantum unicam, nomine Gudrunem, ex concubina suscepisse perhibetur. Tandem longinquioris eorum mansionis pertæsus, negabat se eos diutius domi detenturum, nauci homines, nulliusque usus. His offensus Sigurdus malevolum in suos animum, quorum patrimonium in suos usus, semper auxiliari gravatus, vertisset,

improperabat. Mutuis altercationibus, cum aliquantiſper certaſſent, omnes in Straumseyam, cæteris inſulis habitationibus frequentius cultam conceſſerunt. Ibi habitabat vir opulentus nomine Thorhallus, ab opulentia Opulentus dictus: uxor ei Birna ſtraumſeyenſis vocata, forma ſpecioſa, imperii domeſtici rectrix, quæ ei jam ſeneſcenti, opum reſpectu locata fuerat. Ei prope omnes obærati erant, nomina tamen tarde, ægreque ſolvebant. Ad eum igitur omnes Thrandi alumni, profecti ſunt, & Sigurdus quidem operam ſuam ad debita exigenda obtulit, ſi dimidiam ſibi eorum partem, quorum ſolutio incerta eſſet, præmii loco daret; impenſas etiam in lites, ſi jure experiri neceſſe eſſet, de ſuo præſtaret. Id quamvis durum Thorhallo viſum, tamen inter eos convenit, mox per inſulas paſſim profectus Sigurdus, magnam debitorum partem conſecutus, quibuſdam etiam juris proceſſu recuperatis, brevi magnam pecuniam corraſit, propingquosque ſuos in domo Thorhalli, per hyemem apud ſe detinuit; crebra autem Sigurdi & Birnæ, Thor-

Thorhalli uxoris, colloquia ſuſpicionem ſtupri conſuetudinis multis injecerunt. Proximo vere Sigurdus, ſocietatem cum Thorhallo, lucri damnique communicatione inſtituere cupiebat, quod quamvis ei primò diſpliceret, uxoris tamen ſuaſu probavit: domus inde ad Sigurdi & Birnæ nutum, Thorhalli auctoritate poſthabita, dirigebatur. Proxima æſtate peregrina navis, ad Sudureyam appulſa naufragium fecit, mercium omnium, hominumque quinque e duodecim vectoribus jactura, fractæ navis damnum cumulabat. Septem præſenti periculo liberati, in his tres fratres navis rectores, Haſgrimus, Biarngrimus & Hergrimus evaſerunt. Commeatus, rerumque neceſſariarum penuria, incolis tandem ſegniter præbentibus, laboratum cum eſſet, Sigurdus Thordus & Gautus eos acceſſerunt, miſertos ſe calamitatis eorum teſtati, omnes ad hoſpitium invitarunt. Id cum Thorhallus præter voluntatem ſuam factum uxori queſtus eſſet, Sigurdus ſuis ſe ſumptibus, eos ſuſtentaturum pollicitus eſt. Bene itaque cultiusque, qvam ipſe Thor-

Thorhallus, habiti laute vivebant. Erat autem Thorhallus ad rem attentior, inde sæpius altercationis materiam Biarngrimo præbuit, & quidem cum semel lis inter eos orta, ad mutuas objurgationes eos traxisset, Thorhallus tenellum bacillum manu tenens, dum inter verborum calorem, inconsideratius quippe lippiens rotaret, in nares Biarngrimi impegit, quâ contumelia vehementer irritatus, arreptam securim in caput ejus dejecturus ab intercurrente Sigurdo inhibebatur. Exinde per hyemem, ab altercationibus ab utraque parte cessatum. Primo vere Sigurdus lembum iis, sibi Thoralfoque communem suppeditabat, pollicitus insuper commeatum præbiturum. Id cum Thoralfo primum displiceret, ab uxore persuasus deinde probavit. Viatico a Sigurdo instructi, noctibus in nave exactis, diebus domum exspatiantur. Qvodam mane cum domum rediissent, Sigurdus variis rei familiaris curis distentus, nautis quoque diutius morantibus, postquam ad naves rediissent, prandium capturus, ubi Thorhallus esset quæsivit? ut dormien-

tem

tem cognovit; ſomnus, inquit, vix naturalis, expectabo tamen. Interea miſit, qui ſciſcitarentur, an ſurrexiſſet. Cognito, adhuc dormire, ſubito exſiliens cubile intravit, mortuumque deprehendit, revolvens igitur lodices, ſangvine paſſim conſperſas obſervavit; vulnus ſub ſiniſtra ala veſtigium tenelli ferri, quod ad cor usque penetravit, prodidit. Tantum ſcelus Sigurdus vehementer execratus, culpam in Biarngrimum convertit, impactum verber hoc modo ultum teſtatus, nec tamen impunè. Mox aſſumptis ſociis, ad navem ferocitèr avolans, dirisque & execrationibus horrendis intonans in navem invehitur: quibus auditis, fratres exſurgunt: ille absque mora ſecurim, quam ingentem geſtabat, ad manubrium usque pectori Biarngrimi immerſit. Thordus gladio Hafgrimi humero percuſſo, cubitum & latus univerſum uno ictu abſcidit, Gautus Hergrimi capite humero tenus diſſecto, exanimem eum reliquit, atque ita univerſis in ultionem Thorhalli occiſis, cæteros ſe dimiſſurum Sigurdus pronunciavit: occiſorum tamen bonis, quæ exi-

exigua erant, ſibi ſpoliorum loco vendicatis, gloriatusque de ſtrenuè exacta vindicta, nec tamen ſuſpicionem occiſi hoſpitis, vel a ſe, vel ſociis avertit. Mox uxore ejus Birnâ, ex qua Thorhallus multos liberos ſuſceperat, conjugio ſibi ſociatâ, univerſam mortui familiam ſolus rexit.

CAP. XL.

De Thoraldo Gauti fraude ſcelereque occiſo.

Exemplum a propinquo, ut ſucceſſu proſperum, ſibi etiam ſumendum Gautus Rufus exiſtimavit. Thorvaldum igitur Sandeyæ incolam, opibus florentem, ſed ætate decreſcentem, cui uxor Thorbera, adit, operam ſuam ad nomina ejus, argentumque fugitivum repoſcendum offert, contractumque cum eo ad exemplum propinqui init. Statim manſionum ad eum, quam meritum, longiores vices proſtitutæ uxoris Thorvaldi pudicitiæ ſuſpicionem in animis vulgi ſerebant; augumentum deinde rei familiaris ſecutum. Accidit quodam veſpere,

ſpere, tenebris incumbentibus, ut piſcatorum unus, qui in nominibus Thorvaldi erat, cænaculum ingrederetur, qui de ſolutione ab eo ſollicitatus, tergiverſabatur, verbisque aſperioribus reſpoſcenti reſpondit. Gautus interea cum quibusdam aliis in pavimento incedebat, cum repente Thorvaldus exclamavit: Dii te perdant furcifer! quid hominis ſenis & innocentis pectus mucrone tranſverberas, his dictis ad parietem proſtratus, animam efflavit. Quo audito Gautus furenti ſimilis piſcatorem Lethali ictu exanimavit, dictitans illud ſcelerum ejus ultimum futurum, viduam deinde defuncti mariti, conjugio ſibi ſociavit. Atque ita fortuna, per eosdem ſcelerum gradus, utrumque fratrem, ad optatum votis ſuis faſtigium promovit: ſed nec ſic flagitiorum curſus ſiſti potuit.



Cap-

CAP. XLI.

De Leifo Thoreris filio a Sigmundo hoſpitio excepto, mox fraudulenter cæſo.

Fuit vir nomine Leifus Thoreris filius, Beineris ejus, qui Sigmundi Breſteris filii patruelis erat, nepos, mercaturam exercere, Norvegiam Færeyasque internavigare ſolitus, ex qua negotiatione opes haud exiguas corraſit: cum in patria eſſet, manſionum vices, inter Leiſum Auſſuris filium, & Thuridem nobilem viduam, ejusque filios dividebat. Quodam autem autumno, cum in Færeyas rediret, a Sigurdo Thorlacio, invitatus in Straumseyam ad hoſpitium, poſtulatis annuit. Ad quem Leifus Auſſuris filius poſt paucos dies accedens, non diſſimulavit illam manſionis & hoſpitii mutationem ſibi diſplicere, patuiſſe enim ei in Sudureya apud ſe pro more hoſpitium, nec ſuo conſilio hæc fieri. Ille proinde, quæ ſemel conveniſſent, mutari poſſe negabat, atque ita ad Sigurdum univerſam hyemem divertit,

tit, magno honore & propenſa benevolentiæ ſignificatione cultus, a latere ejus accumbere ſolitus. Vere ſequente Sigurdus ad vicinum ſuum nomine Biornum, exigendo debito, exſpatiaturus, ut ſe Leiſus comitaretur, petit; quod eſſet vicinus trico nummarius, ſolutio autem diu dilata; itaque opus ſibi ejus interceſſione. Quo cum ventum eſſet Biornus non modo tergiverſari; ſed etiam verbis contumelioſis, Sigurdum afficere cœpit, ſecuri eum percuſſurus, cum intercurrens Leiſus ictum ab eo averſurus, adeo gravem in ſuum caput recepit, ut examinis concideret; in cujus ultionem Sigurdus Biornum ilico occidit. Hæc abſque teſtibus peracta, ſolius Sigurdi relatione nitebantur: erant tamen complures, qui non dubitarent, utrumque ab eo occiſum. Id Thuridis nobilis vidua, ejusque filia Thora, Leiſi Auſſuris filii uxor, adeo ægre tulerunt, ut iram & odium ingens, in Leiſum Auſſuris filium conciperent; querentes eum ad omnia Sigurdi ſociorumque ejus ſcelera connivere, contumeliasque eorum concoquere, quod ulciſcendi, præ

insito naturæ torpore, & obtuso ingenio impar esset: diuturnam enim illam patientiam, non aucupandæ occasionis prudentiam, sed pusillanimitatem, metumque sapere. Hæc cum inter se sæpe mussitarent, etiam palam, in eum conjectabant, quæ tamen magno animo tulit. Quadam nocte Thuridis per quietem vidit maritum suum Sigmundum, ad se venientem, qui dicebat. Ita est ut tibi videtur, adsum enim permissu Dei, qui vos monitas vult, ne generum nostrum Leifum, Tu vel filia nostra odio habeatis, ei enim vindicta injuriarum vestrarum decreta est. Postquam evigilavit, visionem filiæ retulit, inde animus earum in Leifum mitigatus est.

CAP, XLII.

De patris Biarngrimi, ultionem filiorum molientis, infelici successu.

Navis deinde in Straumseyam prope prædium Sigurdi appulsa, octodecim nau-

nautas Norvegos, & in his gubernatorem nomine Arnliotum vehebat. Prope portum habitavit, quidam vir nomine Scoptius, qui mercatoribus fideliter ministrando eorum gratiam & fidem sibi conciliabat. Ei Arnliotus, secreta animi sui aperuit, Biarngrimum nempe & fratres ejus, filios suos fuisse, quos Sigurdus, occiderat: se itaque ad vindictam de illo sumendam eò concessisse, itaque petere ut occasionem observaret; sibique cum affulgeret indicaret. Ille Sigurdum nihil boni de se meruisse testatus, hanc operam ei addixit. Forte per æstatem Sigurdus Thordus & Gautus, scapha in insulam quandam advecti; oves ad mactandum, Færeyensium more, qui singulis anni partibus, recentibus carnibus vescuntur, conquirebant: id cum Scoptius Arnlioto retuisset, duodecim e suis acatio impositis, ad eos contendit, tribus ad naviculam relictis, reliqui insulam conscendunt. Videns autem Sigurdus homines vestibus peregrinis inductos, armatos ad se pergere; adsunt, inquit, mercatores, forsitan præter mercaturam, alia quoque negotia

expedituri, nos enim convenire gestiunt; iis itaque occurremus, mox consilio, quod a Sigmundo Bresterino didicimus; in diversa dilabentes, ad navem omnes conveniemus. Arnliotus cum numero prævaleret, suos vehementer incitabat, orabatque, ne tres viros, quos tanquam massæ inclusos haberent, ignavia sua elabi sinerent. Singuli per diverticula sparsi, velocissimo cursu, simul in littus pervenerunt, mox Arnliotus cum suis eos persequitur, Sigurdus eum, qui se proxime insequebatur, ambobus pedibus supra genua truncatum occidit, alterum Thordus, tertium Gautus, cum neci dedissent, conscensa cymba, circa insulam remigantes, in acatium mercatorum incidunt, a tribus vectoribus custoditum. Primo a Sigurdo occiso, duobus in mare deturbatis, utraque scapha domum reducta est; mercatores naviculæ defectu, in insula detinebantur, ad quos comprehendendos Sigurdus, convocato magno insulanorum numero proficiscitur. Cum ad defensionem se pararent, Thordus fratrem Sigurdum monuit, iis in potestatem redactis, honestius

parci

parci quam noceri, præſertim cum Arnliotum graviter antea læſerint. Meæ ergo ait Sigurdus poteſtati arbitrioque ſe dedant; quo impetrato, (neque enim ulla evadendi via patebat,) mulctam Arnlioto pro quolibet eorum, quantum trium hominum cædes æſtimari ſolebat, indixit, quam ille ſtatim ſolvebat, cædeque filiorum tanto damno cumulatâ, diſceſſit: fuit autem vir Hæbudenſis. Scoptii quoque fraus cognita, exilio mulctata eſt, qui in Norvegiam profectus, quod vita donatus eſt, in lucro reputabat.

CAP. XLIII.

De Sigurdo, fratri Thordo nuptias Thuridis nobilis Viduæ conciliaturo, Thoræque Leifi Uxoris ſolertia.

Hucuſque ſcelera Sigurdi ſociorumque ad votum feliciter ceſſerunt. Thordo locuples uxor deerat, ſuaſit itaque Sigurdus, ut ejus nuptias ambiret, quæ cæteras omnes antecederet; eam eſſe Thu-

ridem nobilem viduam, Sigmundi Bresterini uxorem. Id cum Thordus supra spem suam, fortunamque interpretaretur, ni peteret nec impetraturum respondit, se igitur hujus rei periculum facturum: mox in Skufeyam profectus, Thuridi fratris desiderium aperuit. Illa diu abnuere, nec tamen acrius instanti præfracte obsistere, tandem tempus ad consultandum cum filiis suis, genero, amicisque postulavit, quo peracto se ei nuncium facturam pollicita est, atque hoc responso domum dimisit, spei de prospero successu haudquaquam inanem. Redux igitur fratri, nihil eam abrupte respondisse retulit; is autem simulatè locutam videri, seque valde vereri, ne dolus subesset regessit. Inde Thuridis ad Leifum generum & Thoram profecta, rem omnem iis ordine exponit, testata se postulatis refragatam, mitius tamen quam ardor animi dictitasset. Filia occasione strenue utendum rata monuit, ne nuptias palam aversaretur; hanc enim viam ad vindictam præsentissimam. His Leifus consentiens, omnem ad mercedem meritorum rependen-
dam

operâ pollicitus, communi conſilio diem, quo reſponſum reportaturi redirent, conſtituit. Unum verebantur, ingens rebus ſuis obſtaculum, Sigmundi nimirum Leifi filii, quem Thrandus educabat, periculum, quem ſine dubio, in ultionem propinquorum, Thrando mandante periturum pater prædicebat. Tunc primum aſtutia Thrandi, altiorisque conſilii ratio intellecta, qua eum titulo educationis, ſi uxoris propinquos aliquando ulciſcerentur, obſidem in ſua poteſtate haberet. Cumque Leifus uxori Thoræ imputaret, quod in educationem conſentiſſet, illa ſe hoc periculo eum extricaturum promiſit. Placuit itaque, ut ſine mora in Auſtureyam ad Thrandum ſimul ambo proficiſcerentur. Eo cum pluvio cœlo deventum eſſet, cœteris præter Thoram uvidis, focum in triclinio inſtruere Thrandus ad veſtes exſiccandas curavit. Interea Thora in alia domo, filium Sigmundum tunc temporis novennem puerum, ſatis alacrem & ingenioſum audivit; cognovitque juris prudentiam, actionum ſcilicet formulas, æſtimationemque injuriarum, pro

cujusque hominis ſtatu & conditone didiciſſe: deinde quod nutricius ejus, in articulis fidei, eum docuerit, qvæſivit. Pater noſter & Credo, reſpondit. Recitare juſſus, pater noſter, non adeo abruptè: Thrandi autem Credo vel fidei confeſſio talis erat. Non ſolus exeo, comitantur me qvatuor, qvinque Dei Angeli, precationem mihi præfero, precationem coram Chriſto, ſeptem pſalmos lego, ſorti meæ Deus provideat, (deeſt una ſtropha, quam defectu exemplarium ſupplere nequeo.) His lectis, Thrandus ingreſſus, quid inter ſe colloquerentur quærit? filium in articulis fidei, quos illum docuiſſet examinaſſe, in quibus nihil ſanum videatur, reſpondit. Thrandus Chriſtum duodecim, vel etiam plures diſcipulos habuiſſe, quorum quilibet ſuam Creddam (Symbolum) tenuerit, meâ ego, tu tua uteris; Creddæ autem multæ ſunt, nec omnes ejusdem tenoris, reſpondit. Menſis deinde appoſitis, late in multam veſperam convivabantur, Thrando ſtrenue potante, exemplo-

que

que suo omnes exhilarante. In triclinii pavimento communis lectus hospitibus stratus est; Thora autem petebat, filium sibi per noctem permitti, de profectu ejus ulterius inquisituræ. Abnuit Thrandus causatus sine eo somnum capere non posse, cum tamen institisset mater, obsistere noluit. In separata domuncula Thrandus eodem lecto cum puero pernoctare solebat, quibusdam etiam aliis ibidem recumbentibus, eò Thrandus adulta nocte cubitum ibat. Leifus somno se applicaturus, ab uxore inhibetur, monente ut continuo exsurgens, universæ Austureyæ, singula navalia lustraret, singulasque naves luxaret, inutilesque redderet. Id quod ille quippe ibi a teneris educatus, cui omnes anguli, per totam insulam cogniti erant, facile perfecit, ne unica quidem scapha, nautis vehendis idonea superesset. In hoc tota nox insumpta. Primo sequentis diei diluculo, Thora assumpto secum filio, ad navigium tendit. Leifus ad Thrandum ingressus, amiceque salutans, gratiis ob exhibitam hospitalem benevolentiam actis, simul in-

jecit, matrem filium jam recepturam; is parcè ea nocte dormivisse questus, negabat se eo carere posse. Leifus moræ impatiens, quam citissime poterat, ad navem perrexit, iterque qua potuit celeritate maturavit. Tum primum Thrando quid agitarent suboluit, lembum itaque sine mora expediri jussit. Verum ut primum, in mare propulsus, absorpta ingenti humoris vi, non longe affuit, quin vectores omnes, vorticibus haustos, ad internecionem delevisset. Cumque nullum tota insula navigium, hominibus transportandis idoneum superesset, consilii expers artium suarum, ad illud usque tempus invictarum præsidio destitutus, periclitantibus propinquis subvenire nequibat. Id vero mirum, cum ventos semper in potestate habuerit, eos ad prohibendum abitu Leifum, concitare non potuisse, nimirum justa scelerum Nemesi propinquos urgente, a superiore vi prohibitus, malignorũ spirituum, auxilium amplius mutuaturus frustra fuisse videtur.

CAP.

CAP. XLIV.

De cæde Sigurdi, Gauti & Thordi, morteqve Thrandi.

Dies erat, qui proci propinquorūque conventui præſtitutum, præceſſit, itaque Leifus quam primum domum rediit, magnam amicorum ſubditorumque ſuorum multitudinem congregavit. Verum Sigurdus cum propinquos ad iter accelerandum ſolito vehementius hortaretur, mali eventus omen Thordo præbuit. Animus enim male ſibi, & inprimis tantorum in familiam illam ſcelerum conſcius non potuit ſibi non ab ea timere: nec omnino, etiam poſt tantas oſſenſas fœminæ generoſæ caſtæque, & in amore erga defunctum maritum conſtantis conjugium polliceri, ſi vel maxime plurimæ eum virtutes commendaſſent; jam vero enormibus ſceleribus infamis neſcio quid ſperare potuerit. Fatis itaque fratrem tranſuerſum agi conjecit, palam teſtatus haud ſua voluntate eo profecturum: itaque Sigurdus ne hominibus ludibrium ſui præberet, per in-

con-

confultum metum conventum vitando, nullo urgente periculo iterum atque iterum oravit. Tandẽ morigeraturum fe promifit, certo tamen fcire, hoc eodem vefpere incolumes omnes, domum minime redituros. Duodecim armati fimul, adverfis fluctibus, ventoque acrius reflante obnixi fingula obftacula fortiter fuperabant. Cum tandem Skufeyenfi littori advecti effent, Thordus ibi fe fubftiturum affirmavit, Sigurdus autem fe, folum licet, domum petiturum, id quoque Thordus imminentis mortis fignum interpretabatur; verum nihilofecius infulam confcendit, galea, gladio cæterifque armis & armatura inftructus, tunicam inductus rubram, humeris togam cœruleam ligula connexam geftabat. Ad ædes accedens, omnes fores claufas animadvertit, cum longius proceffiffet, Thuridem templo, quod ante fores a Sigmundo exftructum ftabat, egredientem confpexit, rubram geftantem veftem, toga cœrulea, ab humeris dependente, quæ illum affabiliter falutavit, deduxitque ad lignum prope templum in planicie locatum, ibique confide-

debant. Ille ad domus fores, templum illase convertere maluit, pervicitque; quærenti deinde, quid ibi hominum esset, paucos adesse respondit. An etiam Leisus cum interrogasset, negavit, filius adesse sponte retulit. Insistenti, quærere quid consuluissent, fœminis quidem ait omnibus, tu reliquos fratres antecellere videris, nec diu detinerem, si uxorem non haberes. Hic ergo ait fortuna mea claudicavit, facile tamen citoque mutari poterit, egoque hoc vinculo liberari. Id cum forti committendum respondisset, eam propius sibi applicaturus comprehendit. Illâ vero togam, quam is collo astrinxerat, pressis manibus tenente, filius Herius, stricto gladio per fores evolans, eum impetit. Quo animadverso, capite infra ligulam exerto, togâque Thuridi permissâ, subito in fugam se proripiens, campum veloci cursu pervolavit. Effusis cœteris, Herius proxime insecutus premensque hastam in eum conjecit, qui ut ictum in humeros intentatum observavit, humi se prosternens facile evitavit, hasta enim longius prætervolans, in campo figebatur. Subito igitur exsurgens,

gens, eandem iterum in eum retorſit, mediumque tranſverberavit. Inde in anguſtam tramitem, unius tantum hominis capacem incidens, a Leiſo citatiſſimo curſu inſequente premitur. Qui cum exanime Herii corpus offendiſſet, nihil moratus, cum in præcipitium orgias quindecim altum provectus eſſet, ſubito deſiliens, ſtans in ſubjectum littus pervenit. Ibi Sigurdum in cymbam protinus tranſcenſurum nactus, latus ejus gladio, gravi ictu percuſſit, ſentiebatque corporis interiora penetraſſe: is nihilominus ſcapham conſcendit, aque littore propulit. Leiſus ad ſuos rediens mandat, ut eos absque navigiis perſequantur, quibus, an cæſum Herium deprehendiſſet, vel Sigurdũ aſſecutus eſſet ſciſcitantibus, relationes in aliud tempus differendas, reſpondit: mox duo navigia & in his octoginta vectores, remis velisque adnixi, in diverſa deflectebant. Interea Sigurdus navem dirigens, parce locutus, Straumſeyæ eam admovit. Egredientem interrogat Thordus, an graviter vulneratus eſſet, id autem ſe neſcire reſpondit, accedensque navalium parietem, ſupraque eum bra-

brachiis, dum illi navem exonerarent, extenſis, conſtitit. Iis deinde accedentibus, rigentibus membris mortuus inventus eſt. Illi cadaver domũ deferentes quid acciderit nemini indicarunt. Cœnantibus Leifus eum triginta ſuorum ſuperveniens igne ferroque eos oppugnavit. Erant autem undecim propugnatores. Ut vero flamma eos intentius affligere cœpit, Gautus ejus impatiens exſilivit. Excepit eum Steingrimus Sigmundi filius cum duobus aliis, verùm maſculè ſe defendens, Steingrimo alteram patellam præcidit, qui quoad vixerat deindè claudicavit; altero comitum ejus occiſo. Qua clade accepta Leifus eum aggreſſus, poſt aliquantulam dimicationem occidit. Elapſus deinde incendii periculum Thordus, Brandum Sigmundi filium, cum duobus aliis ſibi obvium factum, poſt longum conflictum cum comitibus interemit. Mox ſuperveniens Leifus, eundem gladium per præcordia ejus adegit, quo Sigurdum fratrem ejus antea confecit. Tanti de viris illis victoria conſtitit, quorum omnis vita immanibus flagitiis notabilis, æqualibus, dum

vive-

viverent damnosa, posteris etiam execrabilis, nihil quod laudis speciem habet, continet, cum dotibus naturæ singularibus, ad omnium perniciem, nullius vero boni viri præsidium, semper ambusi sint. Magnã ergo gloriam purgatæ patriæ Leifus secutus est. Thrandus autem instrumentis scelerum destitutus, cum artes suas in posterum, parum sibi profuturas animadvertit, animum despondit; mæroreque & tabe confectus, artificem doli fraudumque incomparabilem textricem animam efflavit. Testimonio Divini illius Regis Olafi Trygguini, qui septemtrionalium omnium pessimum eum judicavit, ad posteritatem memorabilis. Fallitur autem Chronicon Norvegicum Danicis typis impressum, & id secutus Mag: Lucas Debes, dum duos nobis Thrandos obtrudit, filium videlicet & patrem cognomines: neque enim obstat, quo minus uni eidem Thrando hæc omnia adscribantur. Haraldo enim Gormio Daniæ & Haraldo Grafeldo Norvegiæ Regibus, juvenis fuit, idque ut videtur, ultimis Grafeldi annis, qui Anno Christi DCCCCLXXV cæsus est, fue-

fuerit tunc viginti annorum. Primo imperii Magni Boni Norvegiæ Regis anno decessisse videtur; nec integrum annum, forsitan vix unam aut alteram hebdomadam propinquis suis, isto morbi genere, supervixisse: octogenarium fuisse nihil habet absurdi, cum complures hodie eam ætatem assequentur; multi etiam superent. Leifus deinde universis insulis; solus à Magno Bono, cum eum adivisset, præpositus, quoad vixit præfuit; decessit autem senex. Ejus filius Sigmundus in Sudureya a morte patris habitavit; magnusque vir habitus est. Magni Regis tempore, Thuridis nobilis vidua excessit: filia ejus Thora, apud filium suum in Sudureya Sigmundum, post mariti mortem remansit, fœmina optimæ notæ, semper judicata. Sigmundi filius Hafgrimus dictus est, cujus posteri Einar, & Skeggius filius ejus, quos ante paucos annos, author, judices (Sysselmen) apud Færeyenses fuisse, perhibet. Steingrimus Claudus Sigmundi Bresteris filius, in Skufeya habitabat, paterfamilias notæ melioris, nec

plura de Sigmundo Bresterino, aut ejus progenie notata sunt.

CAP. XLV.
Libri epilogus de statu Færeyensium.

His destitutus solertissimus Debes, a Karlis Mærensis tempore, ad usque Sigurdum Hierosolimipetam Norvegiæ Regem, qui anno a Nativitate Dominica MCIII. patri Magno Nudipedi in Hibernia cæso successit, Færeyenses ab obsequio Norvegiæ Regum liberos, suique juris permansisse statuit: eo quod jus suum, alii perpetuis bellis impediti persequi nequiverint, alii etiam neglexerint. Olafum quippe Sanctum Knuti Magni armis, artibusque his temporibus oppressum, Færeyensibus in potestatem revocandis, minime vacasse. Knutum quoque Magnum majoribus intentum, ad illos ut minutiora, animum non appulisse. Id quod haud exiguam veri similitudinem habet: Svenus enim Alfifæ ejusque filius, Norvegis non satis conciliatus, remotiores terras omisisse vide-

videtur, nec facile reperturus, qui Legationem cum certo vitæ periculo conjunctam, ejus nomine obiret. Thrandi autem domo, ſceleſtaque familia exſtirpata, Leiſus vir bonus, obſequii Regibus Norvegiæ debiti memor & obſervans, non ſolum ſub Magni Boni imperium rediiſſe, ſed omni deinde tempore, quoad vixit, coluiſſe perhibetur; viviſſe autem ad multam ſenectam. Anno DCCCCLXXXVIII. admodum puer fuiſſe perhibetur, tunc forte natus annos tres. Quinquagenarius ergo fuit, cum Thrandi aſſeclas occideret: triginta annos, ſi exinde vixit (ſenectutem namque veteres LXXX. annis cenſebant) ad penultimum Haraldi Strenui annum ætatem protraxit. Quod ſi ejus filii Olafi Pacifici vel nepotes poſteriorum Regum temporibus, ab imperio Norvegico defeciſſent, Regibusque eam ob cauſſam negotium faceſſiſſent, Scriptoribus certe materiam pro rerum circumſtantiis, vel diffuſiorem vel anguſtiorem præbuiſſent. Quod cum nusquam notatum appareat, in obſeqvio permanſiſſe evincitur, quis enim moderatæ gentis ideo meminerit, quod tri-

buta solvat, leges sibi a superiore potestate præscriptas, mandataque reverenter observet, omniaque civium subditorumque munia obsequenter impleat, cum id ubique obtineat. Si vero his neglectis obsequio se exsolvere moliatur, negligi nequaquam debet, talium quippe defectionum caussis, ordine eventuque fideliter enarratis, quid ex qualibet parte peccatum, quæ vires gentis, quæ delinquentes pœnæ manserint, claro ad posteritatem exemplo apparet. Non itaque mirum, quod ex vita Suereris Norvegiæ Regis Debes annotavit, præfectos ejus tempore insulis gubernandis a Regibus constitutos; Episcopos quoque, qui sacrorum religionisque curam gererent, plebemque Numinis metu compescerent, suffectos. Id vero a Sigurdi Hierosolimipetæ tempore, quo sub imperium revocatos autumat, demum obtinuisse, ex iis quæ modo dicta sunt, refellitur, cum a Magno Bono ejusque successoribus nunquam desciviſſe legantur. Quo vero tempore primum Norvegiæ imperio se Færeyenses subdiderint, ancipitis est decisionis, in limine narrationis,

ne

ne rerum feries difquifitionibus interrumperetur, confulto omiffæ, Ex iis tamen quæ inibi habentur, primum conftat Haraldi Grafeldi tempore, in Regni Novegici clientela fuiffe, nec ut apparet tributis obnoxios. Id cum ex parte antea monftratum fit, hic tamen perpendendum, quo tempore in clientelam reciderint; cumque memoriæ proditum, nufquam reperiatur, conjecturis utendum. Haraldum quidem Grafeldum, parti infularum dimediæ Hafgrimum, Haconem Hladarum Comitem dimediæ Brefterem & Beinerem præpofuiffe conftat. Disfidentibus ergo dominis obnoxiæ erant Færeyæ uno eodemque tempore, fub tamen, ut videtur, unius imperii reverentia; neque enim fingulos horum, fingulas fibi partes fubjeciffe conftat. Ab antecesforibus utique ad eos perveniffe oportet: fucceflerunt autem non uni eidem principi, fed diverfis. Haraldus quidem Grafeldus cum fratribus, patruo fuo Haconi Adalfteini alumno, Haconi patri fuo Sigurdo Hladarum Comiti, infidiis Gunnhildiadarum oppreffo. Inde haud obfcu-


re colligitur, divisum jus in Færeyas, Haconem Sigurdumque habuisse. An vero ab Haraldo Pulchricomo, promanarit, ideo dubito, quod vim ejus pariter atque Islandi vitaturi, patriamque extra patriam quæsituri, si ei se iterum subjicere decrevissent, oleum & operam perdidissent. Haconi potius Adalsteini alumni, humanitate persvasos. Jamptorum Norvegorumque exemplo, (quorum illi legitimo Rege excusso, eum sibi Regem præposuerunt; isti transitione a Svecis facta, in ejus pariter potestatem concesserunt; utrique invitamentorum blanditiis allecti) tum etiam commerciorum intuitu, cum mercibus, quas Norvegia profert, nullo modo carere possent, ad avitæ patriæ obsequium rediisse existimem: illudque quantulumque jus, quod in eos Hacon assecutus est, cum amicissimo sibi sororio Sigurdo Hladarum Comite partitum, ejusque partem cum patrimoniali ditione, ad filium Haconem transiisse, partis autem reliquæ, ad successorem Grafeldum: quale autem jus illud fuerit, supra, magis ex conjectura, quam authoritate memoravi.

ravi. Inde inprimis confiderandum, quod, cum unico conflictu, finguli infularum præfides occiderint, Thrandus Hafgrimi partem, ut hæreditariam filio ejus Aufluri affignaverit, reliquam, ut hæreditate ad fe, filiis ob ætatem regimini ineptis, devolutam affumpfit, fecurus principum Norvegiæ, quod jus illorum exiguum, nec ad penfiones vel tributa extenfum agnofceret. Idem ex judicio Haconis Comitis apparet, qui præterquam, quod Thrandheimi Comes, paterno jure effet, infuper Norvegiæ Prorex factus, Grafeldi jus acquifiverit; non tamen eo jure Hafgrimi partem fibi adjudicavit, fed pœnæ titulo, ob cædem præfectorum: nec ex ea parte, quam parentes Sigmundi & Thoreris beneficio ejus tenuerunt, poftquam recuperata eft, tributa exegit, aut penfionem, quod parentes, ad eam obligati non fuerint; verum de his fatis. Illud Færeyis magnificentiffimum, & quidem fupra omnium Norvegiæ Regno fubjectarum provinciarum fortem accidit, quod Regẽ bello invictũ, prudentiaque incomparabilem, ad exemplum pium, clemen-

tia

tia maximis æqualem, Svererem Magnum a teneris educaverit, ejusque sorores extulerit, unde Rex bonus Ingius Bardi, Hacon Galin dignitate Comes, potestate Rex, filiusque ejus Knutus, Comes & ipse, nati. De quibus in historia Norvegica.






Hic ſubjiciam qvorundam Epiſcoporum Færeyenſium indicem, ex antiqvis annalibus excerptum.

Anno Domini 1157. exſpiravit Matthias Epiſcopus Færeyenſium. Eodem anno Abſolon ad Epiſcopatum Roſchildenſem promotus eſt; cæſusqve eſt Rex Norvegiæ Eyſteinus Haraldi filius, cui eodem anno ſucceſſit in regnum Hacon humeroſus. Obiit eodem anno Archiepiſcopus Nidaroſienſis Jon, & Epiſcopus Opsloenſis Vilhelmus.

Anno 1162. Rojus Epiſcopus Færeyenſis initiatus eſt: quo etiam anno Rex Norvegiæ Hacon humeroſus cæſus eſt.

Anno 1212. obiit Epiſcopus Færeyenſis Svenus, qvo verò anno ordinatus ſit, non conſtat, qvinqvagin-



ca certe annis poſt ordinatum Roium. Idem annus morte Margaretæ Dagmor Daniæ Reginæ, qvam Dagmær vel Dagmõ id eſt diei vel lucis Virginem rectius dixiſſent.

Anno 1216. Sórqver Epiſcopus Færeyenſis creatus eſt; qvem Rex Daniæ Eiricus Valdemari filius nativitate ſua illuſtravit: tunc qvoqve Honorius ad Pontificalem ſedem ſublatus eſt; vivisqve excesſit Johannes Angliæ Rex.

Anno 1243. mortuus eſt Bergſveinus Færeyarum Epiſcopus, viginti ſeptem annos poſt ordinationem Sórqveri. Funeſtus is annus fuit morte Pontificis Gregorii, & Ormi Epiſcopi Opsloenſis.

Anno 1246. Petrus Færeyarum Epiſcopus conſtitutus eſt, & Olafus Grónlandiæ. Eodem Año Tartarorũ Camus ſacra lympha ſe cum maxima


xima populi ſui parte ablui curavit.

An: 1267. Gautius Epiſcopus Færeyenſis, & Olafus Epiſcopus Grónlandenſis præſentes erant, dum Petrus Epiſcopus Bergenſis & Torgils Stavangrienſis pallium ſuperinduxerunt Haconi Epiſcopo in cœna Domini, ſecundum Pontificis Clementis mandatum, Archiepiſcopo creato. Qvo verò anno Gautius Epiſcopali officio admotus ſit, aut Prædeceſſor ejus diem ſuum obierit, non invenitur.

Anno 1268. Epiſcopus Gautius, Duggald, Rex Habudenſis, & Comes Islandiæ Giſſur mortem oppetebant.

Anno 1269. Erlendus ordinatus eſt Epiſcopus, Arnius ad cathedram Islandiæ Schalholtenſem admotus.

Anno 1316. Qvinqvaginta ſeptem annis ab Erlendi ordinatione undis ſubmerſus eſt Lodin Epiſcopus Fær-




eyenſis, navi, qvam ipſe posſidebat, fractâ, qvô verò tempore initiatus ſit, aut ſi aliqvis inter illum & Erlendum intercesſerit, non exprimitur. Eodem anno natus eſt Magnus Eirici filius, Norvegiæ Rex.

Anno 1320. Epiſcopus Signar factus eſt Bergis Epiſcopus Færeyenſis, & Magiſter Halvardus Hammarenſis. Eodem anno ſupremum diem clauſit Eiricus Daniæ Rex.

Anno 1348. in fata cesſit Havardus Epiſcopus Færeyenſis, viginti octo annis poſtqvam Epiſcopus Signar initiatus eſſet, non verò conſtat, qvo anno Havardus Epiſcopale inſigne acceperit, aut Sgnar exceſſerit. Eodem anno funeſta peſtilentia per Angliam graſſabatur, adeò ut ducenta millia hominum perierint. Magiſt: Lucas Debes, Petrum Claudium ſecutus


in-



inter Havardum & Signarem, qvi ipſi Sigvar eſt, Giafvardum qvendam interſerit.

Anno 1363. Epiſcopus Færeyenſis Arnius Svæla navi Færeyenſi Hiatlandiâ in Islandiam vectus eſt.

Gudmundum qvem primo loco alii referunt, ut & Krollum, qvem tertio, noſtri annales ignorant; putem tamen Krollum Rójum eſſe librarii incuriâ vitiosè ſcriptum.



In-

Index Capitum,

CAP.

XXI

CAP.

XXXV.

CAP.



